~~139~~
119

25.a.6-12

Biblioteca Universitaria
Zaragoza
A
6
Tabla
185

Del Colegio de la Compa. de Jesus de Granada Libreria

# IANI PYRRHI PINCII

MANT. AD REVERENDISS. ET

ILLVSTRISS. PRINCIPEM CHRISTO=

PHORVM MADRVTIVM CARD.

TRID. ET EPISCOPVM

BRIXINENSEM.

DE GESTIS DVCVM TRIDENTINORVM.

DE GALLORVM SENONVM ADVENTV IN ITALIAM.

DE ORIGINE VRBIS TRIDENTINAE.

DE APPELLATIONE ET TRANSITV ALPIVM.

DE CONFINIBVS ITALIAE.

LIBRI DVO

R-5635



# IANI PYRRHI PINCII MANT. AD Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Principem Chriſtophorum Madrutium Card. Trid. & Epiſcopum Brixinenſem Epiſtola.

Deus eſt tũ Græcis tũ Latinis auctoribus mortali iuuare mortalẽ, ut id uerũ ſit, hoĩem homini Deum eſſe: quam ſententiã paſtor ille Virgilianus uidetur non ignoraſſe: promittens Cæſarem, qui ſibi ocium fecerat, ſe ꝓ Deo ſemper habiturũ: & nulla quidẽ alia de cauſa antiquitas cenſuit, Saturnũ, Ianũ, Bacchũ, Cererẽ (ut alios ꝑteream⁹) dignos eſſe, quibus tẽpla erigerent, niſi q̃ hoĩes bonarũ rerũ uſum docuerãt: ut ex uetuſtiſſimo more, quibus uellent abundè gratiã referre, benemerentes numinibus aſcriberent: quibus apparet, ea, quæ hoĩum uitæ profuere, cuncta Deorũ in numero habita fuiſſe: tanti fecerunt ueteres, apud quos erat uirtutũ amor & reuerentia, officioſos homines, & qui ſuis benefecerãt, ut lectũ ſit belluas etiã à Barbaris propter beneficiũ cõſecratas: hæc una eſt ſanè ad æternã gloriã uia, qua creditum eſt iſſe Romanos proceres: hæc me Card. optime ad ſcribendũ magnoperè ꝑmouerũt Imortalitatis cupidũ: deliri.n. eſt hominis credere, quempiã adeò ignauũ eſſe, qui, modò ſecũ aĩo cogitauerit Deorũ noĩa ex hoĩum meritis nata, nõ uehementer inflãmet ad præclarum aliquod facinus: & cui iam perſuaſum non ſit his cognitis pulcherrimũ eſſe, eò totis uiribus anhelare, unde ſperet ipſam præmiũ laboris diuinitatem: quã ob rem non ſanus ſit neceſſe eſt, qui de ſe ipſo periculum non fecerit, & enixè contenderit, ut, quantum ſibi natura conceſſum ſit, mortalibus benefaciat, à q̃bus ſe cõſecratum iri exiſtimet: ad maiorem id quo q̃ ſecordiam accederet, nos, q̃bus profuiſti maximè, quicquid ex minerua noſtra elici potuerit, tibi nõ dedicare: quem de literis & tota rep. Tridentina benemeritum, par eſt numen noſtrum exiſtimari: nam q̃ proſis, q̃ ameris, q̃ in omni genere iucundus ſis, id tuum eſt: oblectant, atq̃ omnes mirificè capiunt, quibus ſcates, ueteres atq̃ vrbani ſales, Atticis etiam ſalſiores, &, qua utuntur reliqui, patria oratione ſapidiores, ſed non minus ſapientiæ tuæ eſt regere, & aliis ex lege Platonis præeſſe, quibusq̃ imperas, populos prudenter gubernare, quæ oĩa ſumma cum laude abs te geruntur: &, licet palã ſit, q̃ facis tuo iudicio & ſponte tua facere, non putas tñ à dignitate tua alienum, habere aliquem in conſiliis Neſtorem, aut ætate grauem, & animi maturum Alethem: quod idem eſt patri etiam tuo Ioãni madrucio uiro grauiſſimo pergratum, qui lætatur te iuuenẽ & ſapere & laudibus florere non tm̃ ut filiũ, ſed quaſi diſciplinæ ſuæ alumnũ: qui audit laudatio-

nes tuas decantari libentius q̃ suas: vnde nobis cõstitutum fuerat princeps sapiẽtissime, ut aĩum nr̃um tibi honestis studiis testaremur, nõ nihil de laudibus tuis ꝓ uirili attingere: verũ, cùm ad nos delatũ esset, te nõ ęquo aĩo suscepturũ uigilias nr̃as, reuocaui extẽplò ĩpetum à scribẽdo, ne te humanissime priceps à nobis abalienarẽ, quis.n. eum ultrò offẽderet, cui maximè studet placere? id.n. erat diuulgatũ, te subdoluisse, ubi nos tua gesta accepisti memoriæ cõmendare proposuisse, ea fortasse de causa, ne stylo malè culto rerum tuarum splẽdor inficeret, uel ne in narrãdo singulares tuas uirtutes, quæ in terras lumen latè diffundũt, uiderer maledicis altius uela expandisse, & licentius de te scripsisse, q̃ fides postulat historiæ, ceu uellem quadã assentatiuncula uiuentis gr̃am aucupari, cũ fortasse nec sine conuitio contrà intendat bonorum opinio, qui uerecundiã nostrã norũt, nos plura subticere cõsueuisse inuidorũ metu, qui ægrè ferunt, ea de aliis prædicari, quæ ipsi nunq̃ attigere: ob id facto ĩpetu scriptores ueluti ementitos lacerãt: addebant p̃terea tibi modestissimo Prĩcipi, ubi tuis Tridentinis cõstitutum esse cognouisti, si quid operis à nobis de te editum fuisset, librariis statim tradere, nõ ꝓbari eorũ consiliũ, te subuereri, id sibi uitio datum iri, si pmissum fuisset historiã de te ipso recens scriptã uenire in vulgus, & quæ nõ oĩbus sunt cognita palã recitari, tanq̃ ipse impudenter mãdaueris gloriã tuã edicto publicari: nõ placere tibi, aiebãt, scęnicos plausus, laudari Eporum citra ambitũ uitã, te non sine rubore ad lectionẽ rerum tuarũ accessurũ: relinquẽdum de his, quæ fiunt à nobis uiuentibus, integrũ posteritati iudiciũ: Hęc equidẽ cùm audirẽ aĩum à scribendo retrahebant, iccircò, si nihil de te memoriæ cõmẽdauimus, & timiditati nr̃ę ueniã des uelim, qui non ausi sumus rerũ tuarũ amplitudinẽ aggredi, & modestiæ tuæ tribuas, ꝓ recusas publicè laudari, tam ingenua & pudica est animi tui indoles: uerũ enimuero, si licet aduersus ingenuos tuos mores sententiã nr̃am dicere, non putamus id maiorum exẽplis reprehẽdendum, quæ qs gesserit, eo ẽt uiuente celebrari: sed reliquis, qui multi sunt, omissis, una interim M. Ciceronis auctoritate muniti loqui pudenter audeamus, qui tanti est, ut credi oporteat eum nõ minus Græcæ q̃ Latinę linguę pomerium ꝓtulisse, ille igitur nõ turpe existimauit fateri se auidiorẽ, plusq̃ satis est glorię, quod apertius declarauit, ea, quæ nõ erubescit, epistola ad L. Luceium historicũ scripta: ardere se cupiditate incredibili, nec sua sententia cõtemnenda, nomẽ suũ ab eo illustrari, & in clarissimis rebus suis aliquod testimonium uocis eius habere: quibus certè apparet, uirũ consularẽ, & tot rebus gestis cõspicuum, cõmemoratione posteritatis ad spem quandã ĩmortalitatis raptum: iudicabis tu igitur Princeps tot uirtutibus insignis, qui materiam præbuisti dignã Liuiana facultate & copia, intemperanter factum, si tu ipse uel inuitus cõmenderis, & parcius q̃ æquum sit celebreris, cũ maximæ & doctrinæ & auctoritatis uir Cicero petierit se à Luceio uehemẽtius ẽt ornari, q̃ ille sentiret: rogauerit q̃ eum neglectis historiæ legibus

amori



amori suo plusculum etiam q̃ concederet ueritas, largiri: atq̃ id festinanter fieri: quod non uerisimile est ab eo tantopere exoptatum: ut solũ suauitate ingenii & scriptoris eloquentia, sed ut rerum etiam suarum memoria uiuens legendo plenius frueretur: Cæterùm cõiectura est aliud esse sapientissime presul, quod scrupulum tibi iniecerit, ut recuses res tuas, si fuissent per nos complexæ, exire in populum: quod id esse opinamur, quòd nactus esses vulgarem commendationem, ęquum uideri te per eum celebrari, qui in scribendo alienas laudes, propriam & ipse ingenii sui gloriam consequeretur, felicem esse Achilem, cui contigerit Homeri pręconio decantari: propterea Alexandrum Macedonem uetuisse, ne qs se p̃ter Apellem pingeret, aut alius Lysippo æra duceret: qa putabat illorum artem cùm ipsis, tum sibi æternæ gloriæ futuram, hinc Hectoris illius Næuiani iudicium, qui tantum se laudari lætabatur à laudato uiro, ut non solùm qui scribit suppeditare oporteat ingenium, uerùm etiam nominis auctoritatem: ex quo, cùm sis Cardinalis sapientissime uir summè doctus, uidebaris posse iure optimo conqueri, & quasi infelicitatem tuam deplorare, ꝓ incidisses in scriptorem lutulentum, à quo potius clarissimarum rerum nitor macularetur, q̃ ex meritis laudaretur, uerumenimuero etsi laboribus nostris parum lucis accessurum fuisset ad singulares magni principis uirtutes, nihilo tamen fuissent obscuriora tua facta, si scripta nostra periissent, non enim interitu nostri ingenii auferri potest diuinis tuis laudibus immortalitas: esset studii tantùm nostri & olei iactura, si uigiliæ nostræ naufragium fecissent, & nos ausi essemus Diis nolentibus oram soluere, atq̃ eos sequi, qui iam altum tenuere, ꝓ Deos propitios habuerũt, id ergo fieret, ut nec tu Princeps modestissime ex studiis nostris gloriam ullam referres, nec nos utilitatem: dum his igitur, quæ undiq̃ afferebantur, affligeretur animus, nec satis scirem utrum mihi faciendum esset: an abs te scribẽdi materiam ordiri, an potius silere, subiere Galli Senones, qui olim in Italiam irrupere, & tuæ maxime præsul, & aliarum multarum urbium cõditores, unde non abre duximus ab illis rem auspicari, ut apertius cõstaret Tridentinæ vrbis principium, quod uno libro complexi sumus, &, ne internarrandum Episcoporum series interrumperetur, gesta ducum Tridentinorum uno etiam libro absoluimus, quos nomini tuo ideo consecrare uoluimus, ut per te fierent immortales, cùm alius nemo occurreret te uno clarior, & æternitatis cupidior, quos si, ut iam mihi persuasum est, hilari vultu acceperis, exibunt illi te duce animosiores in vulgus, ex quibus id omninò apparet, nos, licet nullos laborum fructus percipiamus, constanter tamen in studiis nostris, quo licet modo, pergere, & aduerso etiam cœlo in literulis consenescentes libentius indies conquiescere, atq̃ utinam nulla ui interpellente sic uiueremus: Quam ob rem te obsecro princeps humanissime ne reiicias, quod nos ultrò offerrimus, licet non sit ad libellam factum, nec tua

amplitudine ſatis dignum, ut & ciuibus tuis ex æquo, quod unum cupimus, ſatiſfactum ſit, qui ardentius nihil unquàm exoptarunt, quàm inteſligere quod de vrbis ſuæ conditoribus ſcriptum ſit, tibi, quem unũ colunt, conſecratum iri, uerùm, ne nos, qui maximũ onus ſuſcepimus, irriſi explodamur, opus eſt limatulo & ꝓpolito tuo iudicio: Caſtiges igitur quæſo anteq̃ exeant qui ad te ueniunt libelli, eo animi rigore, quo M. Cato mores hominum caſtigandos cenſuit, quòd ſi ſeueriori cenſura (ut tuum ẽ) recognoueris, prodibunt ſcripta noſtra te uolente in theatrum audacter abſoluta, populoq̃; exoptata plauſu excipientur longè à limine uenientia.

# LIBRO DE GESTIS

## DVCVM TRID. MEMORANTVR.

Triginta Langobardorum Duces.
Italia à Langobardis capta.
Galli in Trid. mouent.
Naunes deficiunt.
Ragilo Anaunium prædatur.
Ragilo occiditur.
Euinus Trid. Dux.
Cranichis Trid. diripit.
Atheſis inundatio.
Tyberis effuſus.
Autharus rex Langobardorum.
Euinus dux Trid.
Iſtria deuicta.
Synodus Mariani.
Agnellus Epiſcopus Trid.
Childepertus Gallorum rex.
Galli Veronam euertunt.
Galli in Tridentinos.
Galli Tridentum expugnant.
Ciues Trid. captiui.
Agilulphus rex Langobardorum.
Agnellus in Galliam legatus.
Theodolinda Langobardorum regina.
Inſignis ſiccitas.
Locuſtæ.
Cometes.
Gaidoaldus dux Trid.
Secundus Trid. uir ſanctiſſ.
Alachis Trid. dux.
Bertharitus Langobardorum rex.
Fines regni Langobardorum.
Bertharitus Trid. obſidet.
Alachis in fugam uertit Langobardos.
Cunipertus rex Langobardorum.
Alachis regnum occupat.
Cunipertus regno eiectus.
Alachis ſuperbiſſimè dominatur.
Damianus Eps Ticineñ.
Aldo Tyrãnum dolo aggreditur.
Cunipertus regno reſtitutus.
Alachis regno eiectus.
Veicetini acie uicti.
Tauriſium captum.
Foroiulienſes ſuperati.
Alachis copias parat.
Cunipertus rex in Alachim mouet.
Cunipertus Alachim in ſingularem pugnam prouocat.
Fortitudo Cuniperti.
Senon Diaconus ſub habitu regio in prælium prodit.
Diaconus acie cæſus.
Reparatur prælium.
Alachis in duellum poſcitur.
Atrox prælium.
Alachis acie cæſus.
Cunipertus uictoria potitus.
Tridentinorum luctus.

Liber de origine vrbis Trid. cõtinet.

Tridenti originem.
Varias opiniones de Gallorũ Senonum aduentu in Italiam.
Vrbem captam.
Brenum Senonum regulum.
Senones Tarq. rege in Italiam trãſiſſe.
Quo tempore Tridentum conditũ ſit.
Quo in loco Trid. ſit.
Ferſinam torrentem.
Tridentinos olim latrocinia exercuiſſe.
Trid. muris cinctum.
Theodorici edictum Feltrinis.
Quare Tridentum ſit appellatum.

Trid.agrum amœnum.
Feraces agros.
Pascuas syluas.
Aurifodinas.
Tridentum vrbem inter Germanos & Italos mediam.
Trid. vrbem cultam, & munitam.
Trid. portas.
Alpes unde dictas.
Sinum alpium.
Alpium iuga.
Italiæ terminum.
Fines Italiæ secundum nostram ætatē.
Alpium nomina.
Alpes maritimas.
Leopontias.
Cotias.
Græcas.
Pœninas.
Rheticas.
Iulias alpes.
Alpium transitus.
Pœnorum transitum.
Græcas alpes.
Pēninum montem à Pœninis alpibus diuersum.



# IANI PYRRHI PINCII MANT.

AD REVERENDISSIMVM ET ILLVSTRISS. PRINCIPEM CHRISTOPHORVM MADRVTIVM CARD. TRID. ET EPISCOPVM BRIXINENSEM

## DE GESTIS DVCVM TRID. LIBER VNVS.

Tridentinorum Ducū facta, qui Langobardorū temporibus rē administrarunt, cōplecti animus est, anteq̄ ad Pōtifices trāseamus, quod de industria fecimus, ne, cùm exorsi essemus scribere de Ēpis, turbato ordine interrumperet historia ducū interuentu. Mortuo igitur Clepho Lāgobardorū Rege à puero Ticini iugulato, Lāgobardi (ut tradit Paulus Diaconus) decē annis p triginta duces domi & foris rem gesserunt in ciuitates distributos, Labas Ticinū, Vuaillaris Bergomum, Alachis Brixiā, Euinus Tridentū, Gisulphus Forum Iulii, & reliqui similiter vrbes aliquas regendas singuli singulas accepere: p quos septimo anno ab aduentu Albuini Italia magna ex parte capta & à Langobardis subacta est: sed nr̄um est, ea tantùm attingere, quæ ad rerū Tridentinarum cognitionem pertinent: Cùm igitur eo tēpore irrupissent Galli, quos Frācos uocant, in Tridentinos, Anagnis Castrum sic vulgo dictum, quod idē est, quod Anauniū uetusto noīe appellatū, se uenienti hosti tradidit: Ragilo aūt Langobardorū Comes iniquo aīo ferens Naunum defectionem (Tridētini.n. etsi duces & Ēpos habebant, qui res diuinas & remp. curarent, regno tn̄ Langobardorum, qui tum latè imperabāt, subiecti erāt) celeri itinere cū exercitu in Naunes fertur: quos cū prædatus esset, incōpositoq; agmine reuerteret, ingenti præda onustus Cranichim hostium ducem in campo Rotaliano obuium habuit: ubi commisso prælio Ragilo fortiter pugnans cū magna suorum parte cæsus occubuit: Cranichis uerò uictoria elatus non multò pòst Tridentum inuadit, captumq; crudeliter diripit, quem grauem præda abeuntem Euinus Tridentinorum Dux repentè subsecutus, in loco, qui Salurnium dicitur, occupat, & conserta manu interficit, tum cęso, tum fugato eius exercitu: miraq; felicitate uisus Tridentinū agrum vrbi restituit: &, cùm eius nomen iam gloriosum haberetur, filiam Garibaldi Boioariorum, siue (ut alii nominant) Bauarorum regis uxorem accipit: sub id temporis Mauritio Augusto Imperatore Athesis fluuius adeò excreuit, ut per portam immissus Tridentum penè obruerit,

*Triginta Langobardorum duces.*

*Italia à Lāgobardis subacta.*

*Galli in Trid. mouent.*

*Naunes deficiunt.*

*Ragilo Anaunium prædatur.*

*Ragilo occiditur.*

*Euinus Trid. dux*

*Cranichis Trid. diripit.*

*Athesis inundatio.*

*Tyberis effusus.*

Veronamq; magna ex parte mœnibus exuerit: nec minus Tyberis intumuit: qui non solùm immenso auctu plana vrbis loca impleuit, strage obstantis molis refusus sed muros quoq; vrbis rapido cursu superuectus est: cùm etiam uisus sit per alueum defluens inter magnam serpentum multitudinem inusitatæ magnitudinis draco, quod in prodigium acceptum est, vnde secuta pestilentia Pelagius Pont. Max. & ingens mortalium multitudo paulò pòst interiere: At finito decennio Langobardi rebus per duces præclarè gestis Autharum regem eligunt, pietate & clæmentia parem nemini, & quem decoro aspectu, corpore benè constituto, belli peritia & pariter rerum omnium prudentia paucis postponas: hic statim animum intendit ad fines regni uirtute militari propagandos: tum debellanda erat Istria atrox prouincia, eò mittere exercitum decernit: uerùm quia ad subigendos ferocis populi animos, opus erat fortissimo Imperatore, qui rem pro Langobardorum maiestate gereret, Euinum ducem Tridentinum ob spectatam eius uirtutem copiis præfecit: eum unum ex multis arbitratus dignum, cui negocium tam arduum committeretur: Euinus igitur cum delecta manu in Istriam mouet, & pugnandi copiam facit: at, quoniam non audebat hostis cum eo signa conferre, excursionibus agros uicosq; depopulatur, vrbes, oppida, magnis uiribus oppugnare adortus muros quatit, ui capta ac direpta incendio euastat, tantumq; pauoris ac trepidationis hostibus iniecit, ut uix impetrata in annum pace uim auri ingentem ad Regem deferre coacti sint: subacta Istria Euinus ad Regem cum exercitu uictore reuertitur: Eodem tempore indicta est Synodus Mariani: cui tantũ præfuere decem Episcopi à sede Romana electi, qui Seuerum patriarcham Aquileiensem, & alios porrigentes errorum suorum libellos audirẽt, & quod ex usu esset Christianæ reip. adiudicarent: quorum unus fuit Agnellus pontifex Tridentinus, uir suorum temporum sapientissimus: qui pro Ro. Ecclesiæ institutis strenuè laborauit: ut p̃clarum uitæ suæ specimen præbuerit: Ea tempestate Childeptus Galliarum rex à Mauritio Imperatore per literas & frequentes nuncios solicitatus potentissimum exercitum superatis alpibus in Italiam traiecit: cui uiginti duces uiros magnos ac fortes prępositerat, eo consilio, ut Langobardorum gentem regno deturbaret: cùm iam Autharus rex ducta vxore Theodolinda Garribaldi Boioariorum regis filia nuptias in agro Veronensi magno apparatu celebrasset, Galli igitur magnam Italiæ partem peruagati, cùm Langobardi, ueriti rẽ summam fortunæ committere, se intra muros & aggeres continerent: rura latè uastantes Veronam usq; penetrarunt, & multa castella, quæ accepta fide sese ultrò dediderant, ingressi crudeliter diripuerunt, & contra fœdera solo æquarunt, atq; eodem impetu in agrum Tridentinum irruerunt, ferroq; & igni oia cõmiscẽtes, Tesanã, Maletũ, Semianã, Appianũ, Fagitanũ, Cũbrã, Vicianũ, Brẽtonicũ, Volenẽ, Ennemeasem, & alia

*Autharus rex Lang.*

*Euinus dux trid. copiarum Imperator*

*Istria deuicta.*

*Synodus Mariani.*

*Agnellus Eps Trid.*

*Coildeperthus Gallorum Rex*

*Galli Veronã opp. euertunt.*

*Galli in Tridentinos.*



& alia insuper oppida ui expugnata deiecerunt, Ferugem tantùm castellum Agnello Tridentino Episcopo intercessore accepta pecunia intactum reliquere: euersis autẽ oppidis ciues ducti sunt captiui in Galliã: Mortuo uerò Autharo, Agilulphus, q & Ago dictus ẽ, ppter Theodolindã, quã uxorem duxit, Langobardorum sceptro potitus de redimendis captiuis statim consilium cepit, Tridentinorum enim calamitatem miseratus est: qui tracti p diuersa funera in summas miserias conciderãt: quod tamen & aliis multis populis ea tempestate contigit, Galli enim cùm bella assiduè gererent cum Langobardis, sæpenumero Italiæ fines ingressi ciuitates armis domitas spoliabant, prædasq; ex agris auertebant, sed quoniam, quæ armis ceperant, loca diù tueri non uallebãt, discedentes captiuos per montes in Galliam immanissimè raptabant: Lãgobardi enim uiribus impares, cùm non auderent copias educere, non poterant suis aduersus Gallorum sæuitiem frustrà opem imploranti-bus suppetias ferre: sed clausi pro mœnibus tantùm pugnabant, dum incensis agris, deiectis oppidis, abductis habitatoribus hostis opũ plenus ultra alpes rediret: Agilulphus igitur Agnellum Tridentinorum Episcopum in Galliam legatum misit, ut ageret de restituendis captiuis: ille, etsi enixè studuerit, ut suos liberaret, ex multis tamen paucos, quos Brunechildis Gallorum regina ære suo benignè redemit, ac condonauit, in patriam reduxit: mox Euinus cognitis per Episcopum Gallorum animis, eò profectus, pace, quod unum cupiebat, à rege impetrata, ictisq; more gentis fœderibus, ac rebus suis compositis in Italiam reuertitur: At, quoniam Theodolindæ meminimus, non ab re sit subiicere eam esse reginam, cui Gregorius Pont. Max. per literas egit gratias, quòd pacem studiosius curauerit, nec Christianæ reip. societatem renuerit, & cuius causa rex, qui fidem tenuit, quam nos catholicam nominamus, multas Ecclesiæ possessiones largitus est, multosq;, qui abiecti erant, Episcopos dignitati restituit: ea tempora longa siccitate nobilitata ab historicis celebrãtur, ut cõtinuis nouem mensibus à Ianuario nunquàm pluerit: unde, cùm frumentum in Italiam ex aquarum penuria angustius prouenisset, fame grauiter laboratũ est, ut illud fuerit tẽpus annonæ difficillimũ: exorta insup mõstrosa Locustarũ uis Tridẽtinũ agrũ uastantiũ, ut qcqd herbidũ aut frondosũ abederent, segetes tñ quod mirũ est, uix attingerent: apparuit quoq; sub idem tempus cometes sidus terrificum ac metuẽdum: quo denunciantur magnorum principum interitus: unde paulò pòst Euinus uita decessit: in cuius locum suffectus est Gaidoaldus, uir bonus ac religiosius: q cũ à Langobardis diù dissensisset, ab Agilulpho tandẽ eorũ rege in gratiã recipit̃: tũ Adoloaldus Agiluphi regis filius in templo Diui Ioãnis Baptistę Modoetię saluberrimo lauacro ritu Chr̃iano tingit̃, & à Secũdo Tridẽtino seruo Chr̃i sanctissimo oleo perfusus ex sacro baptismi fonte suscipitur, de Secundo autem Triden-

*Galli trid. opp. expugnant.*

*Ciues Trid. captiui.*

*Agilulphus rex Langobardorum.*

*Agnellus in Galliã legatus.*

*Theodolinda Lang. regina.*

*Insignis siccitas.*

*Locustæ.*

*Cometes.*

*Gaidoaldus dux Trid.*

*Secundus Trid. uir sanctissimus.*

tino in historiis Langobardorũ crebra fit mentio: qui de illorum gestis breuiter dicitur scripsisse, quamuis nusquàm in suis libris meminerit eius stragis, quam Langobardi regis sui Authari auspiciis collatis cum Gallis signis edidere: quæ tanta fuit, ut tradit Paulus Diaconus, quanta nusquàm alia memoratur: Obiit autem Secũdus Phoca Imperatore: Bonifacio Ro. Pont. Max. & sanctitate & doctrina insignis: ex cuius egregiis operibus non parum gloriæ additum est nomini Tridentino. Post Gaidoaldum sceptrum capit Alachis iniquitatis filius appellatus, per quem turbata Langobardorum pace excitatæ sunt discordiæ, & uariæ populorum strages secutæ: hic primum cũ Grauione Boioariorum comite (cogimur enim sequi nostrorum temporum locutionem) qui tunc Bolgianum, & reliqua eius tractus castella regebat, commissa pugna acerrimè conflixit, & cum ingenti hostis clade acie superior extitit: qua uictoria tantum sibi arrogauit, ut à Bertharito rege suo defecerit: erat autem Bertharitus Langobardorum rex uir pietate & iustitia conspicuus, & catholica fide præcipuè memorandus, qui ex Rhodelinda coniuge Cunipertum filium susceperat, parebat autem Tridentinorum regio, & quæ ad Italiã uergunt, loca omnia Langobardorum imperio, qui ab Istria Regium Iulium usq; Brutiorum ciuitatem regni sui terminum propagarantigẽtibus, quæ inter utrunq; mare adiacent ab alpibus, bello deuictis, fama est enim Autharum cum ualido exercitu Beneuentum irrupisse, inde superatis, qui multi resistebant, populis, Rhegium uicinam Siciliæ vrbem ui cepisse: unde in mare equo progressus dicitur columnam non longè à littore in aquis erectam hasta percussisse, dixisseq; illucusq; extendi Langobardorum fines, quam ferunt deinceps Authari columnam fuisse appellatam: Alachis igitur, ne ex tempore opprimeretur, quoniam à Langobardis desciuerat, aduersus hostiũ impetum Castrum Tridenti communiuit: Bertharitus uerò audita ducis Tridentini defectione, statim in eum mouet, & ualidis copiis ciuitatem obsidione cingit, cæterùm Alachis ut erat acri animo, ut obsessam vrbem liberaret, cum suis inopinatò erumpens Regis castra adortus protriuit, Regemq; ipsum in fugam uertit, Langobardi, cùm dolerent cladem sibi non minori dedecore quàm damno ducis Tridentini perfidia illatam, iactabant in publicum uoces irarum & indignationis plenas, non ferendam esse Alachis audaciam, euertendam Tridentinorum vrbem terram inhospitam, temerarii hominis speluncam, totis uiribus pro maiestate regni sui in prælia eundum esse: His animati Langobardi maiores copias parant, & in hostẽ ferũtur: Videns autẽ Alachis se nõ laturum esse tantam belli molem, cõstituit tentare oĩa, ut Langobardos ab inceptis reuocaret: quam ob rem multos ambire cœpit, quos ueteri necessitudine sibi coniunctos habuit: idq; tandem effecit: ut cùm aliis pluribus, tum p̃cipuè Cunipto regis filio, quo à

*Alachis Trid. Dux*

*Berthari = tus Lang. rex.*

*Fines re = gni Lango bardorum*

*Berthari = tus Trid. obsidet.*

*Alachis in fugã uertit Lang.*



quo à pueritia usus fuerat familiariter, auctore in Berthariti gratiam rursus redierit: Rex tamen infidum & uarium Alachis ingeniũ ueritus, nõnunquàm de eo occidendo cogitauit: cæterùm Cuniperti filii precibus semper placatus, non solùm à cæde abstinuit, sed & illi omnes iniurias filii causa condonauit: quo etiam pertinaciter intercedente Alachis Brixiæ præfecturã, quẽ hodie ducatum uocant, obtinuit, reclamante tã patre stultum esse hominis infidi uires augere, audaciorẽ fore Alachim, cũ teneat Brixianã ciuitatẽ Langobardorum multitudine frequentẽ: non quieturum ferocẽ spiritũ occasionẽ belli nactum, uirũ illum acrem & inconstantẽ olim etiã Cunipertum, per quem tot assecutus est beneficia, incautum excepturum, & regno etiam expulsurum, quod non multò post ueluti diuinitus dictum fuisse cognitum est: Bertharito uita functo, Cunipertum filium in eius locum sufficiunt, qui iam Hermilindã ex Saxonum Britãnorum genere uxorẽ duxerat: at iam uersabat aĩo Alachis, quomodo Cuniptum de solio eiiceret, & regnũ tyrãnide inuaderet, quã ob rem cũ forte Cunipertus causa reip. abesset, Alachis opportunitatẽ rei gerẽdæ ueluti cœlitus datã sibi nõ omittendã ratus, Ticinũ vrbem regiã, & palatium dolo occupat, Aldone & Grausone fratribus, & aliis Langobardis Brixianis ciuibus impios eius conatus adiuuãtibus, quod ubi compertum habuit Rex, se insidiis petitum, se eius proditione, de quo fuerat toties benemeritus, regia sede deturbatum, ut saluti miser, quod unum restabat, consuleret, in insulam confugit, quæ est in Lacu Lario non longè à Como vrbe: ubi cum suis de recuperando regno cõsilium capiebat: Alachis intereà superbissimè dominatur, atq; omnia uersat pro libidine: erat ubiq; luctus, & pauor ingens, sed sacerdotum præcipuus mœror, ac miserabilis comploratus: lamentabantur regem suum Cunipertum, uirũ optimum, omnibus charum exoptatũq; iniquè eiectum, Alachim uerò, qui bonos omnes inexplebili odio prosequeretur, hominem crudelissimam regnare: Erat eo tempore Damianus Ticinensis diœcesis Episcopus, uir sanctitate uenerandus, qui ut ab aris seuitiem tyranni auerteret, misit ad eum Thomã diaconum, quem cùm nunciatũ esset tyranno ante fores stare, & Dei benedictionem (quod uerbũ à sacris scriptoribus præcipuè usurpat) ab Episcopo attulisse: ferunt eum arroganter respondisse: dicite, inquit, si munda habet subligacula ingrediatur, munda ea esse Diaconus respondit, quia manè abluerat: indigatus tyrannus se ait loqui de illis, quæ subligaculo teguntur, ad quæ prudenter respondit Christi seruus, Dei esse, non regis ea perscrutari: uocatum tandem ad conspectum suum, Diaconum inclamans tyrannus acriter increpuit, quo factum est, ut exterriti omnes sacerdotes uehementer trepidarẽt, existimantes regis feritatẽ fore ĩplacabilem, quẽ publicè execrãtes, maiori quotidiè Cunipti desiderio tenebantur: At tandẽ Deus hoĩum p̃cibus exoratus effecit, ut quibus artibus imperiũ parauerat Alachis, iisdem p̃diderit, &, p̃ quos uiã fecerat

*Cuniptus rex Lang.*

*Alachis regnum occupat.*

*Cuniptus regno eiectus.*

*Alachis sæpissimè dominatur*

*Damianus eps Ticinensis.*

ad tyrannidem, per eosdem regno detrusus sit: Aldonis enim filius, cùm nūmum è terra sublatum, qui fortè mensa deciderat, Regi pecuniā numeranti reddidisset, Alachis eum intuens, ex his, inquit numos ostendens, multos habet genitor tuus: quos ꝓpediem ab eo extorsurus sum, arbitrabatur.n. puerum, ut erat tenera ætate, quid uellent ea uerba non satis percepturum: uerùm ille uesperi domum reuersus, quæ à rege audierat singula roganti patri rettulit: Aldo ut erat sagaci ingenio uehemēter cōmotus deliberauit, ut à se imminētis mali periculū depelleret, rapacissimum tyrannum dolo aggredi: facto itaq; Grausone fratre suo de his, quæ sibi à filio de Alachi narrata fuerant, certiore, statim consilium ineunt, decernuntq; Cunipertum, quem prodiderant, reuocare: quid sibi deinceps cōstitutum sit clàm amicos docent, ubi uerò putarent se ea parasse, quæ ad perdendū tyrannū desiderarentur, in eum conspirant: Aldo enim in ꝓtoriū ꝓfectus Alachim excōpositò hortat': ut curis animū leuet, regum esse qñq; à publicis negociis uacare, secedat parūper ab urbano strepitu, cū iuuenibus suis uenatum eat: ꝓ te, inquit, grauiora munera subibimus, &, quā tibi tradidim⁹, urbem fortiter defendemus, eoq; animo portas custodiemus, quo tibi parefecimus, cū tñ nihil sit, quod timeas: constat.n. Cunipertū hoīem temulentum fractūq; re sua deplorata in latebras abiisse, ut illius etiā caput tibi polliceri audeamus: coniuratorū uerbis persuasus tyrānus reiecta regni cura in syluā urbi propinquā egressus, modò uenationibus exercet', modò in ocium secedens uoluptatibus oblectatur: Interim Aldo & Grauso in Comanum lacum ad Cunipertum raptim prouolant, & eius genua amplectūtur, osculāturq;, se confessi in eum nequiter egisse, non tñ ueritos eius aspectū adire: cuius clæmentiā non ignorarent, suis erroribus ueniam multis lachrymis petunt: promittuntq; se, quæ sua causa amiserit, breui restituturos, quod consilium ceperint, paucis aperiunt: die constituta, qua ipse ad urbē uēturus sit: Cunipertus collachrymans, & cōmunē calamitatem deplorās eos humanissimè suscepit, nihilq; illis defuturum pollicetur: modò uiri sint, fortiterq; ac fideliter agant, &, ꝙ salutē suam nō desperauerint, collaudatos à se dimittit: nec multò post eos subsecutus exconstitutò Ticinum urbem ingreditur: prodeunt obuiā officii grā omnes ordines, pueri, ac senes, mulieresq;, & præ gaudio ī fletum profusi omnes regem uenientem plausu excipiunt, singulos, ut licebat, in tanta frequentia osculantem: Restituto in regnum Cuniperto, Alachis nuncio excitus, & rei nouitate pauefactus ad cœlum manus tollens, Deos scelerum ultores implorat, Aldonem & Grausonem communes regum proditores appellat: illos rerum nouarum cupidos anteà in Cunipertum, nunc in se absentem cōspirasse, nec modò Cuniperti caput, qd fraudolētī aio ꝓmiserāt, dedisse, uerū & totū ei⁹ corpus regiis īsignibus ornatū ī urbē ituliisse, illū in regnū uocatū in ꝓtorio sedere, ac dominari, se exclusum exulare, &, quoniam non tutum est in tenebris prope mœnia latitare, sibi necesse

*Aldo tyrānum dolo aggreditur.*

*Cuniptus regno restitutus.*



bi necesse esse longius de fuga cogitare. Parabat plura animi inops iactare, sed ultrà conqueri prohibuit dolor: quam ob rem furibundus ac fremens in Austriam refugit: Veicetini porta egressi uenientem ab urbe & agro armis expellere conati sunt: sed acie uicti conditionem accipiunt, unde uictor Taurisanos magno impetu inuadit, atq; illos captos, cogit secū in re fœdera: cū itē uulgatum esset Foroiuliēses ex fide auxiliares copias ad Cunipertum mittere, Alachis syluā, quæ Capulanus dicitur, apud pontem Liquentiæ fluminis cū paucis, quos delegerat, occupat, unde incomposito agmine transeuntes insidiis adortus in potestatem reduxit, & in uerba sua iurare compulit: ex Austriæ quoq; uiros fortes cōparauit, & ex suis Tridentinis delectam iuuentutem, & præcipuū belli robur conscripsit, alias insuper ciuitates multas, partim ui, partim pollicitationibus sibi ad omnia discrimina socias adiunxit: his copiis & auxiliis undiq; contractis cōmunitus Alachis in hostem audacter contēdit: contrà uerò Cunipertus nō ignarus quid hostis strueret, iubet oēs dare noīa: ex quo breui habito uirorum delectu exercitum ex omnibus regni partibus diligenter conscriptum ex Ticino educit, & uenienti hosti occurrens in campo, cui Coronatæ nomen esse affirmant, castrametatur: Cæterùm ne tot gentes ex utraq; parte suos principes secutæ aliena causa ferro trucidandæ obicerentur: ꝓ nuncium ad singulare certamen Alachim prouocat: Verùm ille, cùm iudicaret tam incertum pugnæ euentum subire stultum esse potius q̄ gloriosum: respondit se malle alios omnes uno se superstite ad internecionem trahi, aut secum quod reliquū esset mori: q̄ se solum, spectante utroq; exercitu, digladiantem, & fortuna uirtuti semper inimica, & pro arbitrio mortalium opera uersante, uictū sub hoste indignantem animam euomere, æquum esse pro tota rep. toto regni robore confligere: cùm autē uir quidam natione Tuscus honesto loco natus eum ad duellum hortaretur, diceretq; indecorum esse regem fortem ac bellicosum, qualis ipse haberetur, pro regia dignitate pugnā detrectare: sic enim Langobardos sine sanguine & populorū strage pelli de imperio, & bellum singulari periculo finiri posse: atq; ipsum extincto Cuniperto rerum facilè potiri: cōmotus Alachis Tuscumq; toruis luminibus intuens, & uoce intonans prædicabat Cunipertum quāuis uinosum, audacem tamen esse, & miræ fortitudinis uirum, se recordari, cùm in regia Berthariti eius patris à pueritia eo familiariter uteretur, solitum esse ingentem ueruecem dorso apprehēsum à terra in altum sublimem dextra attollere: quod idem ipse plærunq; expertus, & totis uiribus innixus efficere nunquàm potuit: At Tuscus, si non audes, inquit, cum Cuniperto in duellū descendere, & pro impio armis decertare, me ultrà periculorum socium non habiturus es, atq; his dictis cōfestim se à cōspectu eius ꝓripuit: & ad Cunipertum cōfugit: cùm starent autē utrinq; acies instructæ, Gundiperga uxor regia, quæ maritum mirum ī modum diligebat, eum flens ꝓcatur, ut se prælio abstineat, idēq;

*Alachis regno eiectus.*

*Veicetini acie victi.*

*Taurisiā captum.*

*Foroiuliēses fidati.*

*Alachis copias parat.*

*Cunipertus rex in Alachim educit copias.*

*Cunipertus Alachim ad singularē pugnā prouocat.*

*Forti udo Cuniperti.*

omnes,qui in tabernaculo erant lachrymantes depoſcebant,&,ne ſe tã to incendio ĩmiſceret,obſecrabant,duces ipſos uiros fortes, ac milites uirtute ſua egregiam operam nauaturos,non laturum Langobardorum impetum Alachim,citra regis piculum rẽ p̃clarè geri poſſe: Verùm rex amicorum conſilia,& muliebres p̃ces,ut in tanto negocio parum utiles, & minus decoras aſpernatus,ſe ſcire, inquit, milites ſuorum principum pñtia fortiores fieri,& ad p̃clara facinora animari: contrà uerò abſente copiarum Impatore aciem facilè inclinari,tum diaconum quendã Senonem noſe hoc modo regẽ allocutum fuiſſe accepimus. Qm̃ rex uita noſtra ex te uno pendet,iniquum ducimus te p̃lio intereſſe, &, cùm incerta ſit uictoria,caput diſcrimini obiicere,ſi forte caderes,periuimus ſtatim omnes:Alachis tyrãnica ſæuitie nos p dira ſupplicia trahet,ac Langobardi p tot annos uictores coacti ſeruient:propterea ſubiit noua cogitatio: aĩus eſt pro cõi ſalute,& tua dignitate in certamen ꝓgredi: galeam, comãtes criſtas,thoracẽ,ocreas,& totum regium apparatũ,ni indignum putas,induã:ibo in prælium armatus ſub mentito habitu: ſequentur copiæ regem me eſſe exiſtimantes,equo uectus phalerato inter primos uiriliter pugnabo:ipſum Alachim ferro petã,cùm uiderint cõmilitones me inter pericula primùm uerſari,ĩflãmabunt, & turpiſſimum arbitrati ducem deſeri in confertiſſimum agmen alacriori aĩo ferent:ſi cæſus Diis aduerſis obiero,pulcherrimũ fuerit ꝓ te uno, in quo uiuimus, in armis occubuiſſe:ſed audies, ut ſpero, ſi modò cadendum ſit, me non inultum cecidiſſe:& uictoriam hoſti cruentam reliquiſſe:poteris tu inſuper,ſi qua accepta fuerit clades,illicò exercitum reparare, & recens hoſtis conatibus reſiſtere:at,ſi ex prælio reditum Dii dederint, quod quidẽ ſperamus,glorioſum,tibi maiori laudi aſcribetur,ꝙ per ſeruũ uiceris,q̃ ſi ipſe in medios hoſtes galeatus irruiſſes,& (ut tuum eſt) acerrimè conflixiſſes. Rex id primũ pertinaci animo negabat, non ſine turpitudine ſua id fieri poſſe proclamans,uictus tandem uxoris fletu, & ſuorum lachrymis expugnatus conſilio argutè excogitato obtẽperauit:tum Diaconus dextræ haſtam,clypeumq; ſiniſtræ aptat:& in quadrupede armatus inſidet,regiisq; inſignibus longè effulgens in medium egreditur,atq;, ubi inſtructas acies & milites p̃lio paratos circũſpexit,copias educit,ſequuntur Langobardi regem eum putantes,mox facta pugnandi copia, dato ſigno Diaconus citato equo in hoſtem rapitur:cõtrà Alachis Regio ornatu longè inſpecto ſublato clamore in denſum cuneum irrumpit,& manum conſerit,dimicatur acriter,& utrinq; ſummis uiribus decertat, furit Alachis, & ex ira animum ſummens per medium hoſtium agmen ſibi uiam ferro patefaciens Diaconum aggreditur, & inſtãs clauа crebrò ferit,atq; ictus ingeminans tandem equo deturbat:collapſũq; & humi reuolutum iugulat:qui,cùm crederet regem interfeciſſe, latus uictoria iubet caput amputari, & ſuffixum haſta feliciter acclamante exercitu circumferri: Langobardi arbitrati ſe regem ſuum amiſiſſe, pedẽ

*Diaconus ſub habitu regio in p̃lium prodit.*

*Diaconus in prælio cæſus.*

referunt:



referunt:uerùm detractis ſpoliis & ſublata galea apparuit detõſum clerici caput, ut utar illius uerbo noſtris tantùm temporibus uſurpato: tum Alachis cognita fraude uehementer excanduit,& ira ſuccenſus exclamauit:nihil egimus cõmilitones,imbellem & inuerecundum hominẽ pro Cunipto occidimus: tantóne armorum apparatu, tanto rerum diſcrimine huc deſcendimus? ut procacem,& nos temerè laceſſentẽ clericum gladio perderemus? illuſus ſum:at Diis uoueo, ſi uictoriã dederint, me præſbyterorum (quod erat illi conuicii nomen) teſticulis igni & ferro diſectis puteos impleturum:Interim Cunipertus,ne ſui inclinata acie palantes agerentur,repentè in medio agmine armatus ſe oſtentat,& præſentia ſua animos militibus à fuga reuocatis reſtituit:rurſus utrinq; ordines in prælium reparantur,Cunipertus hoſti quidem metuẽdus ante omnes progreſſus procul Alachim conſpicatus, ingenti uoce, ut cuncti intelligerent,proclamãs ait,quid opus eſt tantã hominũ multitudinem principũ cauſa mucronibus iugulũ ſupponere? ineamus ſoli nos Alachi,q impare uolumus, cõe oĩum periculũ,utri Deus ac dextra uictoriã tulerit,ille ſolus dñet, ſolus Langobardorum regnum,vrbes,arces,populos incolumes habeat,tecum o Alachi, nõ cum Tridentinis & Auſtrianis bellũ gero:tuum fuerit,ſi uir es,te unum potius ſingulari p̃lio credere,q̃ tuos in funera uiolenter rapere,te unum peto, te unum in certamen poſco:tum Alachis,cùm à ſuis ad gloriã inflãmaretur, rñdit, audiente utroq; exercitu,ſed his potiſſimũ, qui circum Reges aſtabãt,ſe non reformidare Cuniperti gladium,ſed à duello ea tantũ de cauſa abſterreri,ꝙ conſpiceret ſplendentem Diui Michaelis Archangeli (quod uocabulum fuit ueteribus ignotũ,ſed pręſentibus uerbis quandoq; utẽdum eſt,ubi priſca deficiunt,quod cùm in hoc,tum in aliis multis ueniã præfari liceat) imaginem inter contos galeaſq; hoſtium uerſari:his dictis ſtatuunt quãprimũ ferro decertare, eductis copiis ruunt in cædem, & accendente militum animos tubarum ſonitu, maioribus q̃ anteà uiribus concurrunt,Tridentinis ultrò etiam prælium depoſcentibus, nec expectato ſigno repentè in Langobardos impetum facientibus, pertinacibus aĩs certatur,cædunt ſtantes:malunt.n. cominus pugnando cõfodi,q̃ pedem referre:atrox prælium,cruenta ſtrages,miſerabilis cadentium gemitus,terrent armorum ſtrepitus, feriunt aerem, qui omnibus ex partibus audiuntur, uirorum clamores: facta tandem pertinaci impreſſione urgent Langobardi,& ſumma ui prementes cogunt hoſtem loco cedere:Alachis,ut uidit ſuos tergiuerſari,Deos teſtatus eſt, fato non uirtute Cunipertum uincere,qui ut cedentes ſuocaret, & in prælium aĩaret,inſtans ſe in cõfertiſſimũ hoſtium globum ĩmittit, gladiũ cõtorquet, alios tranſfigit,alios fundit,alios proſternit, qui, dum furit, & in medio hoſtium agmine uictor circũagitur,undiq; petitus circũfuſa telorũ multitudine obruit, ut fortiſſimi ducis anima p ſpecioſiſſima vulnera exierit: Tridentini,& quod reliquum erat exercitus,audita ducis morte, fugam arripiunt,& per agros palantes ſalutem quærunt,quorũ multi fer-

*Reparatur p̃lium.*

*Alachis in duellũ paſcitur.*

*Atrox prælium.*

*Alachis in acie cæſus*

ro cæsi sunt, plures instante à tergo hoste præcipites actos in flumẽ Ticinum corripiunt uortices: Foroiuliense s attestãte fide historica ab hoc prælio se abstinuerũt, cùm enim sacramento prius regi Cuniperto tenerentur: dehinc autẽ ui coacti fuissent in uerba Alachis iurare, neutri opẽ ferre suum esse duxerunt, ne, si alterum iuuissent, ab altero descisse uiderentur: quam ob rem inito inter Alachim & Cunipertum prælio integro agmine in patriam recessere: Cunipertus confecto periculosissimo bello Langobardorum regno metu & insidiis liberato, iubet Alachis perfidissimi hominis corpus inquiri: quod ubi nunciatum est inter Lãgobardorum cadauera inuentum, nec pudendis vulneribus confossum, mandauit, sectis cruribus truncum ac deformatum cadauer alituum ac ferarũ rostris dillacerandum abiici: Senonẽ autem diaconũ, qui se pro publico cõmodo deuouerat, ante fores basilicæ Diui Ioannis Baptistæ honorificè sepeliri: hinc lætus q; prosperè dimicatum esset, cum triumphanti exercitu in vrbem reuertitur, populo eum plausibus excipiente: contrà uerò Tridentini amisso duce, ciuibus occidione occisis ĩ luctum profusi, in mœrorem abiecti, sepulchra, templa, aras funereis facibus incendunt, & pullati lachrymis inferias decorant: quodq; unũ possunt, egregias uirorum fortium animas pio officio prosequuntur.

*Cunipius victor sa potitus.*

*Tridenti norum luctus.*

FINIS



Reuerendiss. & Illustriss. Principem Christophorum Madrutium Card. Trid. & Epm Brixinẽsem de origine vrbis Trid. liber unus.

Tridentum à Gallis conditum fuisse accepimus, q̃ auctore Iustino intestina discordia, & assiduis domi dissensionibus exagitati relicto solo patrio, nouas sedes quęrentes, ducente Breno eorũ Regulo, in Italiã irrupunt, & sedibus Tuscos expulerũt, quorũ opes satis constat ante Romanum impium latè terra mariq; patuisse: in utrunq;.n. mare uergẽtes terras ĩcoluere, & oĩa loca excepto Venetorũ angulo usq; ad alpes tenuere: Galli igit̃, Hetruscis fusis ac fugatis, Mediolanum, Comũ, Brixiã, Veronã, Bergomũ, Tridentũ, Veicetiã, condiderunt: Tusci uerò amissis auitis sedibus duce Rheto alpes occupauere, & gentẽ Rhetiorũ à noĩe ducis appellauere, nec ambigendũ est ea tẽpestate Romani noĩs hostes Barbaros plurimũ ualuisse, q̃nquidẽ scribit Strabo priscis tẽporibus plurimas gallorũ gentes, sed amplissimos Boios, Insubres, & q olim cũ Gesatis Senones Romana potiti sunt vrbe, Padũ fluuiũ, & cispadanã oẽm plagã obtinuisse: sunt ẽt, q uolunt Senones aduenarũ recentissimos ab Vfente flumine ad Athesim usq; fines habuisse, fama est tñ auctore T. Liuio eã gentem non domestico odio coactã, sed frugũ dulcedine, & præsertim uini uoluptate captã alpes tenuisse, agrosq; ab Hetruscis prius cultos possedisse, & primũ Arunte Clusino duce & auctore Clusiũ oppugnasse, mox vrbem cepisse: Plutarcus ẽt lr̃is mandauit Gallos Celticos genere ortos, q domi ꝓpter multitudinẽ haud nutriri poterãt, abiisse, ut sedẽ & uictũ quęrerent: quorũ alii supatis Riphęis mõtibus extrema Europę occuparunt, alii inter Pyreneos montes & alpes sedẽ posuere: tũ fama est eos primũ uinũ ab Arunte Tyrrheno ex Italia trans alpes deportatum gustasse, atq; eius admiratiõe, & suauitatis nouitate ita amentes factos, ut collectis armis cũ filiis ad alpes concesserint, quęsituri eã terrã, in qua tã suauissimi fructus exorirent̃: irruentes igit̃ Arunte eos ducente uniuersã ĩter utraq; maria regionẽ Tyrhenis eiectis in suã potestatẽ redegere: à qbus deinde expugnato Clusio Breni ductu Romanis acie deuictis Vrbs capta est: sed mox Barbari Camillo dictatore fusi ac fugati absumpti sunt: Senonum uerò (ut legere est apud T. Liuiũ) in Italiã aduẽtum nunciatũ fuisse cõperimus L. Lucretio, Seruio Sulpitio, M. Aemilio Tribunis militũ à L. Valerio potito interrege cõsulari potestate creatis, atq; eodẽ anno Romã captã fuisse p̃ trecẽtos sexagĩta annos oĩbus bellis uictricẽ: Scribit idẽ Liui⁹, q Plutarco suffragat̃, Senonas uictoria elatos ductu auspicioq; Camilli dictatoris duob⁹ p̃liis uictos ac trucidatos pœnas dedisse: ubi captis castris cędes oẽs obtinuit, ut ne nuncius q̃dẽ tãtę cladis r̃lictus sit: Sueto-

*Tridenti origo.*

*Varia opinio de Senonum in Italiã aduentu.*

*Vrbs capta*

nius uerò tranquillus,quē credibile est T. Liuiū ac Plutarcū legisse, lōgè aliter,ac illi,rem narrat,scribit.n.Drusum hostiū duce Druso comin⁹ truci dato sibi posterisq; cognomē iuenisse,atq; eū ꝓpretorē ex ꝓuincia Gallia retulisse aurū Senonib⁹ olim in obsidione capitolii datū,nec (ut fama ē) extortū à Camillo,miror sanè qūo aurū à Druso ex Gallia in vrbē relatū sit,ut ait Trāquillus,si uera sunt quæ Liuius scribit,dū aurum Gallis pēderet,Camillū interuenisse,cōtinuoq; iter ipsas vrbis ruinas pugnā cōtractā: postridieq; uia Gabinia ad octauum lapidē iterū pugnatum,Gallosq; occidione occisos,q ita deleti sunt,ut ne auri quidē asportator sit relictus, sed utrum uerius,aliorum sit inquirere:nō hoc loco omittēdum esse censui,qd tradit Verius Senonas Gallos existimari ex eo appellari,qa noui uenerūt ex trāsalpina Gallia,quasi Cęnonas lra ĩmutata,kynos.n.grękè nouum dr: hāc sniam adprobat Polybius auctor nō cōtēnendus,q de feritate gentis,& reliquo uiuēdi ritu accuratè multa scripsit:extremi inqt,Gallorū oĩum inter Apœninū & alpes ad Adriā litoralē orā Senones ĩcoluere, ut illud sit, qd supius diximus Senonas fuisse aduenarū rcentissimos:cęterùm sicut de noīe ĩter auctores cōuenit,ita uaria & dubia sūt,quę de Senonib⁹ tradunt reliqua:nā quo maiori cura egregia scriptorū ĩgenia ueluti inter se cōcertātia studuerunt res priscas in lucē trahere,eò obscuriores vñr eas reddidisse:cū nō satis cōstet posteritati,qsnā grauiorē fidē in scribēdo sibi uēdicauerit,tñ qa nō iniucunda est opinionū uarietas,& ueluti doctorū uirorū cōflictus,audiam⁹ ēt ęquo aĩo quę de Senonib⁹ relicta sunt à Iustino,nō tm ut eligam⁹,quē potissimū in hac re sequamur,sed ne,qd clari scriptores senserint,omittam⁹:Gallos,ĩquit Iustin⁹,abundāte multitudine trecēta millia hoīum ad quęrendas nouas sedes ueluti pegrinatū mississe: ex quib⁹ alii in Italia cōsederunt,q vrbē Romā captā incenderunt,alii p Illyricos sinus in Pānoniā penetrarunt,q ea gente domita diù cum finitimis bella gesserunt, post multos deinde successus diuidunt exercitū, alii duce Breno Græciā, alii Belgiū ducē secuti Macedoniā petunt,ferro oĩa ꝓterunt, cōmisso ꝑlio Macedones cędunt:ĩtereà Bren⁹ q se cum parte Gallorum in Græcia effuderat,ĩ Macedoniā irrūpit,ut & ipse opima Macedonū ꝑda, & ea regione oriētis spoliis onusta potiret,uictor Brenus agros ꝑdat,inde ad Deorū immortalium tēpla aĩum cōuertit.Apollinis tēplum Delphis positum ĩ mōte Parnaso aggredit,atq; oppugnat,ubi opulenta regū populorūq; uisebant munera,uerū,cùm oppidani Dei opē ĩploraſſent,Galli oēs attriti sunt, alii terrę motu parte mōtis abrupta strati,alii ĩsecuta tēpestate grandineq; ac fulgure absumpti,Brenus saucius,cū dolorē ferre nō posset, pugione uitā finiuit:hāc opinionē secutus Valerius Max.Brenus,inquit, Gallorum dux Delphis Apollinis tēplū aggressus,Dei uoluntate ĩ se manus uertit, ex q̄bus fas est credere,Brenū,quē auctore Strabone alii Prausum uocauere, Delphis mortē sibi manu cōsciuisse,nō in Romanis ruinis cū exercitu ĩ ꝑlio cęsum occubuisse:nō absurdū fuerit hoc loco subiungere,qd memoriæ ꝓditum est à Paulo diacono Lāgobardorū historiæ scriptore,Brenū Gallorū regē cū trecētis millibus Gallorū Senonū ad Italiā uenisse, eāq; Senogalliā

*Brenus Senonū regulus.*





nogalliā usq; vrbē à Gallis Senonib⁹ uocitatā occupasse ex patria sua lōgè excitis uini auiditate,qd ex Italia deportatū degustauerāt,quorū pars, inqt,nō longè à Delphis Grękorū gladiis extĩcta est,pars in Gallaciā progressi primū Gallogręci,posteà Gallatæ sunt appellati: ad quos Paulus epla scripsit: centū uerò millia,qd reliquū fuit,q in Italia rmanserūt,Ticinū,Mediolanū, Bergomū, Brixiā,cōstruxisse,& cisalpinæ Galliæ nomen ddisse affirmat,atq; hos Gallos Senōes fuisse:q vrbē Romanā inuaserunt: de morte aūt Breni nil meminit:sed rursus ad lectionē Liuianā rdeam⁹,quę lectorē docet,nō q Clusiū oppugnauere,& subinde Romam cepe, primos fuisse Gallos,q alpes trāsierāt,cùm manifestū sit ducētis ꝓppe annis, anteq̄ Clusiū oppugnaret,& Roma diriperet,Gallos ĩ Italiā trāscēdisse: siquidē prisco Tarquinio Romę regnāte Ambigat⁹ Celtarū rex iā magno natu cupiēs regnū ꝑgrauante turba exonerare Bellouesum & Sigouesū sororis filios impigros iuuenes,in quas Dii dedissent auguriis sedes mittere cōstituit:Bellouesoĩ italiā uiā Dii dederūt:q Biturges,Aruernos,Senones,Heduos,Ambarros,Carnutos,Aulercos,secū exciuit:& ingētibus peditū eqtūq; copiis ꝓfectus ad oppositas alpes uenit,quib⁹ supatis ꝑ Taurinos,saltusq; Iulię alpis galli trāscēderūt,fusisq; acie Tuscis haud ꝓcul Ticino flumine Insubriū agro cōsederunt,in quo vrbē cōditā Mediolanū uocarunt, quos Romani posteriorib⁹ annis penitus deletos perdidere, alia subinde Germanorū manus eodē tēpore (ut hoc quoq; subnectā) Elitouio duce, alpes cū supassent,fauēte Bellouesoubi nunc Brixia ac Verona vrbes sūt, locos tenuere:ex Liuiana lectiōe ea colligunt,& Senones bis in Italiā trāsisse,& eos,q Romā incēderunt,Gallos nō fuisse primos,q Italiā armis inuaserint,postremò Mediolanū nō à Gallis Brenū secutis,sed ab illis,q Bellouesoduce agrū Insubriū occupauerūt, anteà fuisse cōditū:id quoq; opę rępreciū fuerit audire, qd Plutarcus ĩ libro de fortuna Romanorū testat: Senones incēsa Roma,cū accepissēt suas sedes à finitimis deuastari, facta pace cum Camillo ad Danubiū rediisse,sed Camilli uirtute denuo ab Italia pulsos:idē ēt Plutarcus ĩ Camillo & Mario scribit Senonas Gallos paulò post Italiā iterū ingressos,& à Manilio Torquato uictos:hos Suidas ueluti Plutarcus Senones Celtas uocat,quos ideò qdā cōtendūt illos fuisse, q cū Camillo pugnarunt:eosdē ēt illos Senones Florus asserit,quos Valerius Coruinus cōsul Romanorū uicit,Florus itē & Plutarcus in Hetruria iuxta lacū Vadimonis Senonū reliqas penitus interiisse asserunt,& illos à Dolobella funditus deletos,ut nemo extet ex ea Gallorū gente,q incēsam à se vrbē glorietur:hęc addere uoluim⁹,ut lector ex ꝑdictis auctorib⁹ colligat,& quos Roma ĩcensa bis Camillus uicit,& quos Manilius Torquatus duce eorū occiso à torque detracto supauit,& quos Valerius Coruin⁹ fusos expulit,& quos demū Dolobella extĩxit,ac deleuit, eosdē esse Senonas Gallos,q diuersis tēporib⁹ in Italiā irruere uini ac ꝑdæ auidi,cęterū quęuis causa Gallos exciuerit:ubiuis Brenus cū suis cæsus occubuerit:vndeuis aurum reportatū sit,siue idē,siue diuersi fuerint,q sępius Italiā inuaserint:nam manifestū est harū rerū scriptores in diuersas partes trahi:id certè non ob-

*Senones Tarq. rege in Italiam transisse.*

ſcurum eſt Brenum Gallorum ducem Tridēti conditorē fuiſſe:à creatione uerò mundi uſq; ad Gallorum Senonum aduentum in Italiā,q Romā ceperunt,quatuor annorum millia & decē ſupra octingēta colligunt: inde ad beatiſſimæ Virginis partum & Chrianorum ſalutē trecenti nouē & octuaginta anni numerant,q; ſi diligenter tēpora cōputaueris,à Breno Senonum regulo & Tridenti conditore uſq; ad ætatē nrām mille noningētos & ſeptē ſupra uiginti annos fluxiſſe inueneris:Hæc vñr longius fortaſſe & attentius repetita q̄ oportebat,cæterùm id uoluimus intelligi,quæ narrauimus oīa eò reducenda eſſe,ut Tridentini parentē ſuum cognoſcerent, ſcirentq; aptius vñ & quo tēpore in lucē uenerint.Eſt autē Tridētum Venetiæ ciuitas ſupra Veronā in radicibus alpium poſita, apud torrentē, quem vulgo Ferſinā uocāt,à Precino oppido defluentē, ubi uolubili impetu in Atheſim amnē fundit:hic ex mōte tenuis primū exit, & ſæpe tāta aquarū inopia laborat,ut penè areſcat,uerùm,cùm repentè augeat,p multos anfractus citato curſu defert,ubi uerò p ſcopuloſam vallem deuolutus, & ipſo impetu auctus in fauces ſpumans irruit,quæ rupibus utrinq; in preſſum oſtium reductis,furentē curſum non longè ab vrbe ſuſtinet, tum fluctus anguſto montium concurſu ꝓhibiti tanq̄ indignent p̄cluſo gurgite reprimi:ſibiq; exitum obſtrui,tument,ĩmurmurātq;,&,quæ oppoſitę ſunt, cautes fremunt ſtrepitu:ſupatis tandē obiicibus p clauſtra ui errumpentes ex alto aquarum mōte cum ſonitu in ꝓfundum cadunt,inde ruptis aggeribꝰ, &,quæ hoīum ingenio obiectæ ſunt lapidum moles ad cohibendā undarū licentiā,deiectis,effuſus torrens debacchat,ſtabula, tecta, arbores radicitus euulſas ſecum trahit,natant armenta,ruunt ſata,collabuntur ſacella, & antiquæ Deorum aræ,quas ſubīde arenarum cumulo obruit, ſubuoluitq; ſaxa,& rotantia circumagit,quæ ſub undis ĩter ſe colliſa raucum edunt ſonitum,quacunq; rapit ſibi p agros uiā facit,& longè ab alueo rura depopulat:adeò,liquentibꝰ p̄ſertim uerno ſole humoribus,interdum excreuiſſe dr:ut ſæpenumero p portā in mœnia irrupit,atq; in vrbe trepidatum ſit: nōnunq̄ ad ſonitum cāpanæ in forum noctù cōcurſum, ad portāq; cōclamatum,tanq̄ hoſtis muros teneret:Ad Ferſinæ igit ſeſe in Atheſim p̄cipitanter euomentis hoſtium ſita eſt Tridenti ciuitas:ſupra Comum.n.ad alpium radicē auctore Strabone Rheti ſunt, & Venones ad oriētem uerſi, alia ex parte Lepontii,Tridentiniq; ac Sthoni,& alii cōplures populi parui Italiā tenentes:qui ſupioribus annis inopes latrocinia exercebāt, quos ueluti ſeptos tenebat montium altitudo,& uaſtiſſima rupium p̄cipitia tutos ab omni iniuria tuebant,erat.n.aliquas in partes aſcenſus adeò anguſtus & p̄ceps,ut ne iumenta quidē niſi aſſueta cōſiſterent correpta oculorū uertigine,illi igit ſe in iuga recipiebant ab inſidiis,& lubricā glaciē ex ſcopuloſa ueluti arce in ſubiectas valles deturbabant,ſemitāq; hiberna mole occupabant,quod erat tranſeuntibus non minori periculo q̄ terrori, ex quo difficile erat ex iugis adeò inuiis latrones deiicere : Auguſtus tamen Cæſar quantum licuit uias aperuit:Hæc de Tridentinorum partu , quos Tridenſes uocant,alii Lepontios eſſe uolunt, ꝓ igitur à Breno Gallorum

*Q no tēpore Trid. cōditū ſit.*

*Q uo in loco trid. cōditum ſit.*

*Ferſina torrens.*

*Tridētini olim latrocinia exercuere.*

regulo



regulo in alpibus fuit cōditū,poſt multos annos(ut tradunt annales)cinctum fuit mœnibus à Theodorico Gotthorum rege tunc impio Italiā obtinente:quod ut melius cognitum ſit,nō grauabit labor hiſtoriam paucis ſubtexere.Simplicio patria Tiburtino Ro. Pont.Max.Odoacer cum ualida Turcilingorum & Herulorum manu Italiā ingreſſus Horeſtē patricium apud Ticinum vrbē bello ſupatum ac captum interficit:Tunc Zeno Impator calamitates Italiæ miſeratus,Theodoricum Gotthorū regē anteà apud ſe magno in honore habitum ad eā liberādā cōtra Odoacrē cum ingentibus copiis mittit:Vnde Odoacri duces nō ꝓcul Aqleia acerrima pugna ꝓfligant:Odoacer uerò ipſe multis p̄liis prius ſupatus, dehinc triēnio Rauennæ obſeſſus ex pacto Theodoricum impii ſociū recipit: à quo nō multò poſt ad cænā inuitatus cū filio occidit:ex quo Theodoricus totius Italiæ impium adeptus Gelaſio Ro. Pont. Max. Clodouco Galliarū regi bellum intulit,ꝓ Alaricum generum ſuum interfeciſſet,ſupatis Gallis Vaſconiā recepit,Siciliāq;,Dalmatiā,Liburniā,Illyricum,Narbonenſem galliā,Burgundiā olim inter Sequanos poſitā ſuo regno adiecit(detur uenia obſecro,ſi auſi ſumus uti uerbis in familiā Ciceronis nuſq̄ rceptis) atq;, ut Italiā ab externo hoſte tueret,Tridentum vrbē muris cinxit:Extat eius edictum,quo uoluit Feltrinos & hoīes ēt religioſos ad condendā Tridentinorū vrbē cōuenire,quod hic appoſuimus tali exēplo.Poſſeſſoribus Feltrinis Theodoricꝰ rex.Neceſſitas publica multorū debet deuotiōe cōpleri, qa nō decet paucos ſuſcipe,quod conſtat plurimis expedire, ne regia iuſſa tepefacta lenteſcant,dum res utilis delegatur infirmis: in Tridentina igitur regione ciuitatem conſtrui noſtra præcepit auctoritas , ſed quia territorii paruitas magnitudinem operis non poteſt ſuſtinere,hæc ſolicitudo nra ꝓſpexit,ut acceptis mercedibus cōpetentibus pedaturā murorum omnes in cōmune ſubeatis:qui ciuitate iungimini:quatenus accōmodato ſolatio ſecurius impleatur,quod paucis inexplicabile fortè cognoſcitur:hac.ſ.cōditione diffinita:ut nullus ab illis oneribus excuſet:vnde nec diuina domus excipitur.valete.Ex his,quæ breuiter collegimus,quod cupiebā ſciri, manifeſtum eſt Tridentum Breni auſpiciis fundatum, à Theodorico uerò Gotthorum rege,& tum in Italia Imperatore auctum & mœnibus cinctū fuiſſe,ſalutis noſtræ anno. CCCCC. XV. unde autem ſic fuerit appellatum,adhuc quæritur:ego enim(ut ingenuo animo fatear)apud auctorē aliquem non memini legere huius nominis cauſam , nec qui uiderit audiiſſe quenq̄, licet non paucos ex doctoribus noſtri temporis interrogauerim:coniectura tamen eſt à tribus torrentibus ex propinquis montium iugis propè vrbem cadentibus Tridentum quaſi torrentum uocatum fuiſſe:quorum unus per portam Aquilæ in mœnia delatus anguſto alueo per mediam vrbem Atheſi cōmiſcetur,alius,quem diximus Ferſinam appellari,muros præterlabitur,tertium paulò longius delabentem Saletum nominant:qui per uineta & cultam uallem ex propinquis montibus citatum curſum rapit,ſed lapidum ſtructura, atq; aggeribus utrinq; coarctatus, &

*Tridentū muris cinctum.*

*Theodorici edictum Feltrinis.*

*Q uare Tridentū ſit appellatum.*

ab iniuria agrorum prohibitus, uix in Athesim exitũ inuenit, alii existimãt à tribus dentibus appellatum, quia inter tria montium cacumina, quę ueluti dentes à reliqua alpium parte longè eminent, positũ sit: Sũt, qui à Tridente illi nomen datũ fuisse disputant, ꝓ ea ciuitas fuerit à principio Neptuno dicata, quod ut facilius nobis persuadeant, uerisimili utunt̃ argumẽto: aiunt.n. sicuti Rhendenẽses Saturnũ, ita Tridentinos Neptunũ coluisse: quẽ Deũ tridente usum fuisse fabulata est antiquitas, ueluti Iouẽ fulmine, Plutonẽ Cerbero: ad hanc cõiecturam ualidum afferunt testimoniũ, affirmant.n. eo in latere tẽpli Diui Vigilii, quod forũ respicit, extare lapidem, ut licet uidere, uetustissimũ, & aliqua in parte corrosum, in quo cernit̃ exscalpta tridentis forma, quo facilè ducimur credere Neptunũ olim à Tridentinis ut Deum cultũ fuisse, atq; inde vrbem nomen traxisse, & simili de causa eorũ opinionẽ non improbãdã putamus: qui affirmãt Iudicarias dictas quasi Ioui dicatas, Solis vallẽ, ꝓ Soli sacra fuerit, appellatã, nec me præterit nonnullos uoluisse aliunde Tridẽtũ nomen sumpsisse: Verùm qa id fabulamentis magis q̃ ueritati propinquũ uidet̃, nõ dignum esse censui historiæ grauitate, sed quęuis fuerit huius nominis causa nõ ultrà laboramus, id pulchrũ fuerit memoratu, tremendos olim & inhospitales latronũ recessus ac sæua ferarum latibula nr̃a ętate mitescere, & hospitibus patere diuersis terrarũ nationibus per eas oras ultrò citroq; sub alium orbẽ trãseuntibus, illinc ex Boreali plaga ꝑ difficiles primũ montiũ apices descendit̃, at, ubi Tridentinorũ fines attigeris, ꝑ planiciẽ, quã amnis fluctibus ad saxa ĩmurmurãtibus mediã secat, utrinq; uicis frequẽtẽ, in Latinorũ cãpos facilis est trãsitus, hinc ex tota Italia in Oceanũ septẽtrionalem per rupes excisas & diffractas, collesq; humiles expeditissimũ iter est Tridentũ, & ad eas, quæ decliuia montium latera habitant gentes, unde incolæ, qui se recipiunt in transpadanã regionem alpibus subiectam, bonarumq; rerũ omnium elegantia ac nitore cõspicuam, ad mansuetiorem uitam redacti sunt: ut iam experimento compertum sit Tridentinos longè alienos à maiorũ suorum feritate mores colere, montes.n. qui uidebantur ad usum tantũ sceleratorum hominũ natura erecti, ut illis à præda redeũtibus speluncas ꝑstarent, partim aratro uertuntur, rastrisq; domiti, & diligẽti cultura ad frumenta subiguntur, partim uitibus arboribusq; serunt̃: huc addideris herbosos saltus, & syluas pascuas, ubi ĩnumerabiles errant greges, unde nõ ad leuandos tantũ labores parantur reditus, sed ad opulentiam usq; montani homines ꝓuehũtur, ut nullo ĩ loco sit certior ꝓuẽtus, nullo in loco maior agricolarum frequentia: qbus apparet ibi ꝑcipuã esse rerum bonarũ curã, ut, quæ ex mediis hominum cædibus uictum quærere consueuerant, nunc se honestis artibus alant gentes, quæ Romanam religionem in primis obseruãt, eamq; unã tenendã esse ꝑtinacissimè disputant, contra illorũ furorẽ, quos ad insaniã impulsos uenenarunt quorundã deliramenta, qui sanctissimam legẽ ꝓperam interpretantes, ita hominũ animos labefactarũt, ut res Christiana in summum discrimen adducta esse uideatur: Verũ, quoniã nõ est hic

*Trid. ager amœnus.*

*Feraces agri.*

*Pascuæ syluæ.*



est hic locus querelæ, ad ea quæ narrare cœpimus par est reuerti. Lõgè diuersi sunt à parentibus suis Tridẽtini, q & literariæ disciplinæ, & rei bellicę nõ minus q̃ agrariæ operã impendunt: quãdoquidẽ & castrẽsi & urbana laude accẽsi, nullã grauiorẽ existimãt q̃ glorię iacturã: quãti uerò faciãt agrorum culturã, cũ ex aliis multis, tum ex his, quæ dicta sunt, satis cõstare arbitramur, hic cernere est feraces valles, & apricos colles, sed maximè, quę circa vrbẽ sunt, loca remissioribus frigoribus tẽperatiora, cũ quauis regiõe uini bonitate concertãtia: ubi uerò tellus locorũ iniquitate sterilescit, penetrãt mortales in montiũ uiscera, atq; ex metallorũ effossionibus, quibus ꝑcipuè scatet ea, quæ ad Italiã uergit, alpiũ plaga, uictum anhelantes quęrunt, quæ aũt excauant, in uicinas ciuitates exportant, ꝓmutantq; & ditantur mercatura: quã à Platone ẽt laudatã Aegyptii reges & alii Principes exercuerunt, ut montosa illa regio iam sit opulentior, q̃ q habet̃ ferax Italiæ tractus: Talibus igit̃ auctoribus in frugifera ac salubri cõualle fundata atq; aucta est puetusta ciuitas Tridentina, locus ad res gerẽdas maximè opportunus, quę Italos ac Germanos inter utrãq; gentẽ media amplectit̃, Germanos.n. ꝑ altissimos montiũ scopulos, sed uersò in Italiã pectore paulatim mitescentes, quà incipiunt in agrũ Tridentinũ inclinari, longo & ꝑcipiti itinere defatigatos fouet, Latinos uerò supatis tm̃ primis fauciũ angustiis breuiori itinere sub ipsos alpiũ sinus cõscendentes ueluti occurrens vrbs iuuandi mortales cupida cõmuni hospitio benignè excipit: quæ nr̃is tẽporibus Bernardi Clesii Principis & Cardinalis Tridẽtini cura & studio fuit tẽplis: palatiis, & aquarũ riuulis ꝑ uicos silicibus ꝓximè cõstratos diffluentibus mirũ ĩ modũ exornata, factaq; magnis prĩcipib⁹ cõmoda, ut iucundũ hospitiũ, urbisq; charitas multos teneat, sed nec minus qdẽ mœnib⁹ q̃ ædib⁹ cõspicua est: tria.n. vrbis latera altissimis muris, crebrisq; ꝓpugnaculis nõ quidẽ lateritiis, ut penè aliæ oẽs Italię ciuitates, extructa, sed rupibus ex ꝓpinquis mõtibus deuolutis, & ad libellã fabrefactis, cõcludunt̃: latus uerò quod occasum respicit, & ipsũ partim mœnibus sępit̃, & à meridie excurrens ueluti cornu ad fluuiũ terminat̃, inde quod reliquũ ẽ, orã ab occasu in Aquilonẽ inclinatã leni fluctu lãbit flumen, & domos muris nudatas abluit. Vrbs itẽ quatuor habet exitus: porta, quę Athesis hoc loco uorticosi fluctib⁹ ad trabes Pontẽ sustinẽtes refractis ab imo uerberat̃, Brixiã uersus ducit, ob id alias Brixiana uocitata: quę aũt hodiè sãctę Crucis dr̃, Veronã respicit, vñ Veronensẽ portã qñq; noĩatã fuisse legimus: ea uerò quę ab Aqla cognominat̃, clesianis hortis cõtigua egrediunt̃, q in Feltrinos Veicetinosq; agros tendũt, quarta ĩter Athesim & Castellũ posita, ueniẽtes ab extrema Septẽtrionalis oceani ora fessos ꝑ uicũ, quẽ Burgum sãcti Martini appellãt, ĩ vrbẽ suscipit: Hęc aũt ciuitas nr̃a tẽpestate à Bernardo Clesio Prĩcipe & R.o. Eccl̃ię (quo uocabulo multis ĩ locis ex usu horũ tẽporũ necesse ẽ uti) cardinale magna ĩtegritate administrat̃, quã ꝑstãtissimis ĩgeniis bonarũq; artiũ disciplinis ĩstructã, clarorũ uirorũ mr̃em, & altricẽ iurè dixeris, ut sit rerũ gestarum gloria, & ꝑclaris oĩum generũ exẽplis

*Aurifodinæ.*

*Trid. inter Germanos & Italos media.*

*Trid. vrbs culta*

*Trid. vrbs munita.*

*Tridenti porta.*

cuiuis ciuitati ꝓxima: At qm̃ diximus ꝑ alpes iri Tridẽtũ, ĩ q̃bus cõditũ est, de finib⁹ Italiẽ, ubi mõtibus terminat', atq; alpiũ appellatiõe, & earũ trsãtu nõnulla narrare ꝓposuimus: Sũt.n. alpes ĩmensum naturæ opus, à cãdore niuium dictæ, quia ꝓpetuis ferè niuibus albescunt, iccircò alio noĩe Albiũ uocitatæ, quãuis uelit Seruius alpes Gallica lingua excelsos mõtes significare, sunt.n. montes, qui trãsalpinã Galliã à cisalpina diuidunt, Italiæ ĩminentes altissimi: Alpes autẽ negat Strabo à Monœci Herculis portu (ut quidã arbitrati sunt) sed à Sabaciis uadis incipere: indicium esse, ꝙ inter Ingaunum, & Monœci portum vrbs ingens est Alpium prius Alpia uocitata ad mare Ligurum colonia, quã Plinius Albium appellat: vnde alpes ipsas Alpium noĩarũt, perindeac alpium radices eousq; extenderent': constat præterea inferiorẽ alpium partẽ, quæ in Italiã uertit', cõcauẽ esse, medium sinum tenere Salassios, extremitates sinuari in cornua, hinc ad extremas Adriatici maris oras conuersa, hinc ad maritimã Ligurum regionem apud Genuã eius gentis emporium flecti: ubi Apenini rupes alpibus iungunt', excelsa autẽ alpium capita ab ora ligustica, ubi principium habere dicunt', semper erecta ad eos usq; apices, q̃ supra Carnos sunt, ꝓpetuis iugis attollunt', ut unius montis faciẽ præbeãt, remissa inde in partes diuersas ĩclinantur, surgunt q̃; plures in uertices, eo autẽ argumento deprehendunt' iuga, ut ea sint summa, ex quibus demittunt' amnes in cõtrarias partes decurrentes, ut sunt eorum mõtium cacumina, quæ trãsalpinã Galliã ab Italia summouent, ubi supra Medualos populos inquit Strabo in locis admodum cauis lacum esse ingentem, ac duos præterea fontes paruo inter se distantes interuallo, ex altero Druentiam amnem effundi, & per confragosa loca in Rhodanum præcipitari, è regione uerò Duriã per Salassios in contrarias partes illabentẽ sese Pado immiscere, ex altero autem fonte Padum exoriri, celerem primùm, at, ubi in plana sese ĩmiserit, tardato paulatim impetu molliorem diffundi, iamq; amplissimum per septẽ hostia in Adriaticum pelagus alueum exonerat: proditum item est, montem super Carnos incumbentẽ, lacum habere in Isarã amnẽ cõfluentem, qui rapto secum Attage altero flumine fertur in Adriaticum sinum: cõtrà uerò ex eodem lacu fluuium alterum, quem Attesinum uocant, rapi in Istrum amnẽ. Hæc Strabo, ex quibus, ut reliqua omittam, haud dubium est, ea esse altissima alpium iuga, quæ ex uno eodemq; apice emittunt flumina in contrarias terrarum partes cursum uertentia: modò qui sint Italiæ ad alpes termini uideamus. Post infimas alpium radices auctore Strabone Italiæ initium est, quæ tamen per oram Ligusticam ad Vari fluminis hostium excurrit, & à Tusciæ finibus Istriẽ Polã usq; Colcorum opus terminũ ꝓtẽdit, q.n. inter Varũ amnẽ & Genuã vrbẽ incolũt ad mare ꝑtinẽtes Italis ascribunt': atq; idẽ auctor est, ex Antipoli oppido Masiliam usq;, & paulò ulterius gentẽ Saliorũ incũbẽtes tenere alpes: Salios aũt à priscis grẽcis Ligures uocatos: &, quã Masiliẽses habitãt r̃gionẽ, Ligusticã ab illis dictã fuisse: posteros deĩde Gallos planiciẽ ipsã ad Rhodanũ usq; Ligures appellauisse,

*Alpes unde dictæ*

*Sinus alpium.*

*Alpium iuga.*

*Italiẽ terminus.*

Salios



Salios quoq; Plinius & alios populos Ligurũ celeberrimos ultra alpes posuit, ꝙ si Liguria, ut cõstat oĩum scriptorũ testimonio, ĩter Italos numerat', argumẽtant' plẽriq; eousq; Italiæ cõfinia ꝓgredi: quò & Liguria, eãq; oẽm planiciẽ, quẽ ad Rhodanũ excurrẽs Ligurũ dicit', Italiẽ iuris esse oportet': at q̃ntum adiuuet Romanorũ partes Plinii auctoritas breuiter audiamus: q̃ ait Formionẽ amnẽ ultra Aqleiã sex millia passuũ fuisse antiquũ auctæ Italiẽ terminũ, nunc autẽ fluuium Arsiã ultra Polã Nesactũq; oppidũ Italiẽ finẽ esse: quò uerò ad alpes: Rhetos, inquit, Tuscorum ꝓlem arbitrant' à Gallis pulsos, uerso deinde in Italiã pectore alpiũ Latini iuris Euganeæ gentes sunt: credunt aũt Graios fuisse positos in trãsitu Herculis Graiarũ alpiũ incolas, p̃stãtesq; genere Euganeos: numerat p̃terea Plinius multos alpium accolas latio donatos, Octodurenses, Centrones, Cotianas ciuitates, Caturiges, Vagenos, & q̃ Mõtani uocãt': dehĩc ubi subiecit alpinas gẽtes ductu auspiciisq; Augusti deuictas: hẽc est, inquit, Italia Diis sacra, hæ gentes eius, hẽc oppida populorũ, ut, si Plinium audire uelim⁹, ẽquũ sit credere sũma alpium cacumina Italiẽ postremò auctẽ terminũ esse: Ptolemẽus itẽ affirmat Italiã limites habere ab occidente alpium iuga iuxta lineã, quæ extendit' ab Adula monte usq; ad Vari fluminis hostia, mõte autem Adula & linea ĩter capita Rheni & Danubii amniũ ducta orientale Rhetiæ latus terminat', à septentrione uerò alpiũ iugis, quẽ Rhetiæ ĩminent, Pœoniis præterea & Ocra montibus Vindeliciæ adiacentibus, dein uerò supra Istriam Caruanca monte, qui sub Norico est, & præter hæc littore Adriatici sinus à Tiliauento fluuio usq; ad Garganum montem & Hidruntem Italiam finiri, ut à septentrionali plaga ex Strabone Pola, ex Ptolemẽo ultra Nesactum oppidum terminus, ex Plinio, qui Paulum ꝓgressus est, Arsia fluminis Italiæ finis statutus sit: de alpium uerò latitudine nihil attinet dicere, cùm uaria sit scriptorum opinio: id unum tm̃ addam, ibi alpium, quæ reliqua sui parte graciles sunt, præcipuam esse latitudinẽ, ubi Germaniam ab Italia segregant: centum.n. millia passuum aliquando excedunt, quadam naturæ prouidentia, quæ studuit q̃ amplissimo uallo Italiam munire, & externarum gentium impetum ab vrbe bonorum studiorum matre, atq; eadem uirtutum omnium alumna longius submouere: At quoniam inter complures nostræ ætatis homines disceptatio est, ubinam ponendus sit nostra tempestate Italiæ terminus in alpibus p̃sertim Latinorum oppida & populos à Vindelicia seiungentibus, rogati sumus, ut quæ illi sentiunt, scriptis mandemus. Volunt nonnulli Bolgianum, quod distat Tridento circiter quinque supra triginta millia passuum ad Athesim oppidum, quà in diuersas Germaniæ partes iter est, inter utranq; nationem medium esse, ibiq; terminari Italiam, moti his rationibus, uel potius coniecturis, ꝙ eius loci indigenæ Germano utuntur idiomate, inde uerò Tridentum usq;, quæ habitant gentes sermonem imitentur utraq; lingua immixtum: sed cùm neutrum rectè proferatur, nec Itali, nec Germani uerè dici p̃nt: Cẽterũ quò lõgius inde remouent', eò frequẽtior expeditiorq; est latini sermonis usus: qa ergo Bolgiani Germanorũ more uiuit', atq; ibi lin-

*Fines italiæ secundũ nostram ẽtatem.*

gua à nr̃a penitus dissimili, ut sua uti incipiunt, & q̃ supra sunt populi eodẽ mõ loquunt̃, ac uiuũt, tũ ꝓpter morum differẽtiã, tum ꝓpter linguarũ diuersitatẽ Bolgianũ Germaniẽ pr̃cipium esse nõ temere cõtendunt, hic tñ uelim lectorẽ animaduertisse, Bolgianos hinc ab annis centũ Germanorũ linguã sibi usurpasse, ante id tẽporis latino idiomate, uti hodie Tridentini, usos fuisse: Alii uerò inuehunt̃ aduersus illos, quorũ opinione vr̃ nonnihil detrahi Romanorũ magnitudini, ꝓbabiliusq̃; esse aiunt Italorũ terminos fuisse lõgius ꝓpagatos, cũ iniquũ esset, quẽ penè ad alpiũ radices ĩ Italiã uersas sunt, alcribi externarũ gentiũ cõfinibus, studẽtq̃; aliis, qd̃ ipsi credũt, multis cõtentionibus ꝑsuadere eo ducti argumento, q̃ uicus sit citra vrbẽ Brixinã ad decẽ millia passuũ, ab indigenis Clusia noĩata, quã ita uocatam fuisse interpretant̃, q̃ ibi mõtes inter se cõcurrant, tanq̃ natura ipsa uoluerit eo in loco tanto rupiũ cõcursu Italorum limen claudere, Germanorũq̃; ferocitatẽ angusto aditu cohibere, q̃ ut alia subinde rõne ualidius confirmẽt: addunt, ab eo, quẽ diximus uico, populos oẽs diœcesis Tridẽtinæ subiectos esse: Tridentum autẽ vrbẽ, etsi nr̃a tẽpestate multas ob res ĩter Germaniæ confinia adnumeret̃, & Eps Tridentinus, uti ex Impii Principibus unus tractet̃, veterũ tñ scriptorum cõfessione in Italia esse, ut subsequens sit, qui Tridenti sunt, eosdẽ ẽt esse Italiæ terminos, sed & his refragat̃ multorum sententia, qui disputãt Germanos à Latinis montiũ iugis diuidi, idq̃; ex eo quod ipsimet uidisse affirmant, ꝓbatum iri uolunt: mons.n. (ut referunt) inter Aeni pontẽ nunc Inspruchã, & oppidum vulgo Stertzingum uocatum, eminentissimis iugis attollit̃, qui patria lingua appellatur Prener, quo noĩe dicunt uim frigoris significari, id.n. est Prener Germanico idiomate, quod urere, siquidẽ ibi sunt glacies ac niues, quẽ æstiuo ẽt durãt cœlo, flantq̃; ex alto poli uertice gelidissimi uenti, qui adurunt trãseuntiũ corpora: ascensus qnq̃ millia passuũ ab radicibus ad sũmũ explet, totidẽq̃; in Aquilonẽ descensus: quẽ oĩnò in latitudinẽ decẽ millia passuũ patere tradunt, ut oĩum, q̃ in eo tractu sunt, montiũ altissimus existimet̃: in apice aũt duo sunt lacus: qui ad iactum tẽli, inter se abesse dicunt̃: ex altero erumpit tenuis ueluti exilientis aquæ partus, q̃ uerso in Italiã cursu ꝑ cõfragosas ac ꝑcipites rupes cadẽs in vallẽ ruit, & in aliũ torrentẽ exonerat̃, quẽ opinio est Hisarcũ esse, Aysochũ mr̃na lingua appellatũ, vñ Hisarci ꝓpè Breunos populi, qui Brixinã vrbẽ interfluẽs cõtinuato ĩmpetu iuxta Bolgianũ oppidũ in Athesim fluuiũ spumosus euoluit̃: ex altero uerò emanat riuus ueluti ꝑ saxa fugiens alueo primũ exiguo, at, ubi ꝓgressu incrementũ suscepit, uiolentior fit, & ꝑ latus boreale ꝑcipiti ferẽ̃ cursu, ingentiq̃; strepitu põtem Aeni uersus rapit̃, & iã torrẽs Aeno fl. ĩmiscet̃, qd̃ argumentũ eẽ uolunt, naturã ipsam inter duas gentes terminũ statuisse alpiũ iuga: quem uoluit intelligi cõtrario fluuiorũ cursu medias alpes dirimentiũ, ut qd̃ boreã spectet latus, Germanorum, quod austrũ à summo iugo Italorũ sit: Cęterũ de Italiẽ cõfinibus, tũ ueterũ testimonio, tum nr̃i tẽporis hoĩum iudicio satis dictũ putam⁹: Nũc uerò, quibus noĩbus appellent̃ alpes, breuiter ostẽdam⁹: quarũ alias prisci maritimas dixere, quẽ Ligustico mari finitimẽ sunt,

*Alpiũ noĩa*

quà iter



quà iter est in Narbonensem ꝓuinciã, sunt & quas Leopõtias Cęsar & alii appellãt, ex qbus orit̃ Rhenus inter Sedunensis & Curiẽsis diœcesis fines, quẽ sũt nr̃ę ætatis uocabula Leopõtini autẽ populi in Cotiis alpibus sunt auctor̃ Ptolemęo, à qbus alpes ipsas nomen accepisse facile ẽ credere: Cotias ẽt (ut quibusdã placet) dictas, uel à Cotiis populis Ligurũ gẽte, post quos (ut scribit Strabo) Salassii sunt, uel à Cotio rege, q̃ pdomitis Gallis eas extruit magnis molib⁹, & uiatorib⁹ opportũas fecit, ꝑ quas ĩ loca Rheno ꝓxima aditus est: eas hodiè sancti Gotardi & sancti Nicolai mõtes uocari suspitio ẽ: alias aũt Graias noĩauere ab Hercule, q̃ mortaliũ prim⁹ superatis alpiũ difficultatib⁹ ĩ Italiã penetrauit: hac ferũt Cęsarẽ ꝑ fines Cẽtronũ, quos hodiè Tarentasios uocãt, legiones in Galliã traduxisse, cũ non sint adeò arduẽ, & aditu difficiles, ut cęterẽ, quẽ Italiã ꝓspectãt, easdã & Pœninas uocari qdã asserunt, sed eorũ opinionẽ cõplures ĩprobãt, cũ Pœninæ sint ꝑ quas Anibal trãsierit, quas à Graiis diuersas esse auctores sunt: alpes uerò quẽ Rheticẽ dñr, q̃ Rhetis ĩmineãt populis, eas esse haud ambigẽdum ẽ, quẽ agro Tridẽtino, & Veronẽsi adiacẽt, qbus in Sueuiã & Austriã trãsitus est: at Iulias alpes, de quib⁹ meminit Tacitus, Rhetis ꝓximas, eas esse opinio est, quà ꝑ Tauriſinã vrbẽ in Noricũ tendit̃: cęterũ, ne singula uideamur ꝓsequi, reuocet̃ ĩpetus, modò cõstet alpes diuersis appellationib⁹ uocatas fuisse: de quarũ trãsitu nõ alienũ sit addere, quæ à scriptorib⁹ tradunt̃, sunt.n. factẽ plurib⁹ ĩ locis puiẽ: Strabo trãsitus ꝑ alpes tñ quattuor noĩat: unũ ꝑ Ligures Tirrheno mari ꝓximũ, alterũ ꝑ Taurinos, quà dicit̃ trãsisse Anibal, tertiũ ꝑ Salassios, quartum ꝑ Rhetos, oẽs ꝑruptos atq̃ ꝑcipites, sed qm̃ de trãsitu Pœnorũ, qd̃ interlegendũ sæpenumero occurrit, disceptat̃ uehementer, opępreciũ fuerit primũ audire q̃ uaria de eo tradita sint: id inter scriptores cõuenit, ꝑ Taurinos Ligurum gentẽ Gallis ꝓximã exercitũ traiecisse in Italiã Anibalẽ, sed quanã alpes trãsierit, nõ satis constat: vulgo creditũ ẽ eũ ex Hispania in Romanos mouentẽ Pœninum supasse, atq̃ ẽt inde nomẽ & iugo alpiũ inditũ, Cœlius uerò scribit Anibalẽ ꝑ Cremonis iugũ trãsgressum, sed horum opiniones T. Liuii auctoritate refellunt̃, à quo ꝓditũ est, nec ꝑ Pẽnini, nec ꝑ Cremonis apices Pœnum trãsire potuisse: nanq̃ ambo illi saltus nõ in Taurinos, sed ꝑ salt⁹ mõtanos ad Libuos Gallos eũ ddux̃issent, nec uerisimile esse eatum ad Galliam patuisse itinera, utiq̃ cùm quæ ad Pẽninũ ferãt, obsepta gẽtib⁹ semigermanis fuissent, ex uerbis ꝓfectò Liuianis liquet Pẽninum ad Gallos ducere, & à Taurinis saltibus, quà credit̃ descendisse Anibal alienũ esse, qd̃ quidẽ Taciti ẽt testimonio cõfirmat̃: q̃ scribit Pœninas alpes eas esse, qbus ex Italia in Noricum & Germaniam itur, non inutile fuerit hoc in loco subiicere, quæ à Ptolemæo scribuntur, ut explicatius intelligatur, quanta sit inter scriptores de his montibus disceptatio, qui tamen Liuii ac Taciti sententiã adiuuat: Meridionale, inquit, Rhetiæ latus alpiũ mõtib⁹ terminat̃, quorũ alias Grẽcas, quẽ occasũ spectãt ĩ Galliã uersẽ, alias Pẽninas uocari ostẽdit iuxta Lici amnis ortũ, q̃ Rhetiã à Vindelicia disiũgẽs in Danubiũ exit, sed nec omittat̃ Plinius, qui Ptolemęi sentẽtiæ suffragat̃, cuius uerba

*Alpes maritimæ.*

*Leopõtiæ. Cotiæ.*

*Alpes Græcæ.*

*Pœninæ alpes.*

*Rheticæ alpes.*

*Iuliæ alpes.*

*Alpiũ trãsitus.*

*Transitus Pœnorum*

hęc ſunt: Ab alpiũ radicibus auguſta Taurinorũ antiqua Ligurũ ſtirpe, dein Salaſſiorũ auguſta ꝑtoria iuxta geminas alpiũ fauces Graias, & Pœninas, his Pœnos, Graiis Herculẽ tranſiſſe memorãt, ex his ſanè ꝓſpicuũ eſt, Gręcas & Pœninas nõ eaſdẽ eſſe alpes, ut qdã ſenſere, Pẽninum ꝑterea nõ Gallię, ſed Rhetis ĩminere, ut ĩde cognitũ ſit, iter ꝑ Pẽninũ nõ ĩ circũpadanos cãpos, in quos ꝑ Taurinos digreſſus eſt Anibal, ſed ĩ agrũ Tridẽtinum ferre, ut falſa prorſus eorũ uideat̃ opinio, q ꝓtinaciter diſputant Anibalẽ ꝑ Pẽninũ ĩ Italiã euaſiſſe, & ab eo Pẽninos montes uocitatos: aduerſus quos T. Liuio Ptolemęoq; opitulat̃ Strabõis geographia, à quo ꝓditũ ẽ Salaſſiorũ regionẽ magnã eſſe, ꝓfundã utrinq; vallẽ, agrũq; claudentib⁹ rupib⁹, atq; eorũ partẽ extendi ẽt ĩ cacumina, illis uerò q ex Italia ſupra mõtes poſiti ſunt, unã eſſe uiã ꝑ uallẽ iã deſcriptã, inde bifariã diuidi, unã qdẽ ꝑ Penninũ & alpiũ ſũmitates ducere, iumentis inacceſſibilẽ: alterã ꝑ Centrones ꝓlixiorẽ, quæ fert in Græcas alpes, ĩ qbus Centrones ſupra Salaſſios ſunt auctore Ptolemęo, ut tñ ꝑ Salaſſiorũ agrũ, vñ in biuiũ ſcindit̃, utroq; iter ſit: ex lectione qdem Strabonis Pẽninus & Græcę alpes diuerſa oĩnò ſunt: nõ deſunt etiã q putent Pœnninas alpes eas eſſe, quas ſũmas uocat Cæſar, ſed nos hęc pitiorib⁹ adiudicãda relinquim⁹: multorũ igit̃ ſcriptorũ auctoritatib⁹ arguunt̃ illi, qui uoluere Anibalẽ ꝑ Penninũ in Romanos traxiſſe exercitũ: tum qa teſte Strabone ꝑ Penninũ (ut breuib⁹ cõplectar, quę dicta ſũt) uia erat eo tẽpore iumentis inacceſſibilis, & (ut ſcribit Liui⁹) ſemigermanis gentib⁹ obſepta: tum qa auctor Celio Penninus in Germaniã ferat, affirmetq; Ptolemęus Penninũ ad ortũ Lici amnis adiacere, ut ex Rhetia ꝑ Pẽninũ in Tridẽtinorũ valles iter ſit: qbus de cauſis fateri cõuenit, nec potuiſſe Anibalẽ loca iumentis inacceſſibilia tot elephãtos & equitatum traiicer̃, nec ueriſimile eſſe Pœnos duce Anibale uerſuto & ſagaci uiro ex Rhodano ſupato Adulę mõtis cacumine, quo ab occaſu claudunt̃ Rheti, temerè diuertiſſe ĩ loca ab Italia diuerſa, & tã lõgo ambitu, difficiliq; itinẽr̃ ꝑ Penninũ in agrum Veronenſem euaſiſſe, vñ rurſus ad iuadẽdos Romanos ꝑ uarias gentes circũflectenda erat uia: cũ alibi cõſtet Pœnum ꝑ Taurinos agros in loca circũpadana trãſgreſſum eſſe, & primũ ꝓlium fuiſſe Anibali ex alpib⁹ digreſſo cũ Romanis agro in Inſubrium apud Ticinũ amnem, quo in loco cõſul Romanus hoſti obuiã primũ factus eſt, vñ cognitũ eſt lõgo & diuerſo interuallo Penninũ diſtare: atq; id multos maximè mouet Pœnorũ exercitũ ꝑ Taurinorũ mõtes deductũ fuiſſe, q apud Liuiũ lere eſt Anibalẽ ſigna ꝑgreſſum in ꝓmõtorio quodã, vñ lõge ac latè erat ꝓſpectus iuſſis cõſiſtere militib⁹ Italiã oſtentaſſe, ſubiectosq; alpinis montibus circũpadanos cãpos, quod adeò cõmodè ex alia alpiũ parte facere nõ potuiſſet, ut id oĩnò ꝓximum uero ſit Anibalẽ ꝑ Taurinos trãſgreſſum, cũ maximè ſcribat Plutharcus quĩto decimo die ſũpatis alpibus in agrũ Taurinum Pœnos deſcẽdiſſe, qno ueriſimilius, inquit, vr̃ ꝑ montẽ Genuæ (ſic.n. vulgo appellãt) qui ex altero latere flumen Druentiã, quã trãſmiſit exercitũ Anibal alpes petẽs, ex altero exitum in Taurinos Ligurũ gentẽ habet, Pœnum trãſiſſe, nõ.n. ueriſimile ẽ, eũ ꝑ Græcos mõtes penetraſſe, qui quidem iam



dem iã laboribus Herculis erant apti, at quà duxit exercitũ Pœnus, loca erãt (ut legere ẽ apud Liuiũ) prius inacceſſa, nã, cũ ad rupẽ inuiã uentum eſſet, ingentẽ lignorũ ſtruem ſuccẽdit, & torridã incendio rupẽ ĩfuſo aceto putrefecit, ferroq; apuit, q ſi Herculis iter ſecutus fuiſſet, expeditũ trãſitũ ĩueniſſet: Cęterũ, ſimulac lõgius euagati ſumus, ad biuiũ Strabonis recurramus, & ꝑ alterum iter tendamus: quod ex valle Salaſſiorũ ꝑ Centrones in Gręcas alpes ducit: quà Cęſar legiones in Galliã dicitur traduxiſſe, ut ubi ſint, & quonã uergant Gręcę alpes plenius cognoſcamus. Refert Strabo Medulos trãſalpinæ galliæ populos maximè adiacere, ubi Rhodanus & Iſara amnes confluunt, alterã uerò alpiũ partem in Italiã uergentẽ Taurinos gentẽ ligurticã, & reliquos tenere Ligures, eorũ autẽ agrum eẽ Ideonos, & Cotios, poſt illos & Padũ Salaſſios eſſe, & ſup eos in cacumine Centrones, Caturiges, Veragros, Nantuates, & lacũ Pelemenã, ꝑ quẽ Rhodanus effert̃, inde ipſius fluminis ortum, nec longè Rheni fines, & montẽ Adulã, ex quo in ſeptẽtrionẽ Rhenus excurrit, aduerſa uerò ex parte Abduam in lacũ Larium iuxta Comũ effũdi: ſupra Comũ autẽ ad alpiũ radicẽ Rhetos iacere & Venones ad oriẽtem uerſos: alia ex parte Lepõtios, Tridẽtinos, Stonos, & cõplures alios populos Italiã tenẽtes: Ptolemęus Lepõtios in Cotiis, Centrones, Caturiges, & Secuſianos in Gręcis alpibus poſuit, ut ex his ĩtelligi poſſit, Gręcas alpes Galliã ſpectare ad fontes Rhodani adiacẽtes, Pẽninũ uerò ad ortũ inclinari, & ad Lici amnis pricipiũ extẽdi: Iã ſatis liquet Græcas alpes & Pœninas nõ eaſdẽ eſſe, nec ꝑ Gręcas alpes Anibalẽ penetraſſe, nec ꝑ Pẽninũ Pœnorũ exercitũ traduci potuiſſe: relinquit̃ igit̃, ut uel ꝑ Taurinos ſaltus, ut ueriſimile eſt, uel ꝑ Pœninas alpes irrupit, q ſi eũ Pœninis trãſiſſe defendimus, id fateri oportet, Pœninas à Pẽnino mõte diſtare: illas ex Plinio ꝑ fauces iuxta Salaſſios, hũc ꝑ Tridẽtinos mõtes in Italiam ducere, in quo uideo multos deceptos fuiſſe, exiſtimãtes Pẽninũ & Pœninas alpes eundẽ montẽ eſſe: vñ datus eſt locus diſputationibus, quæ ob ambiguitatẽ locorũ pariunt legẽtibus obſcuritatẽ: id ꝑtereà non inutile fuerit audire: nõnullis placuiſſe tm̃ fuiſſe Pœnorũ nomẽ ea tẽpeſtate in Romanos irruentiũ, ut nõ ſolũ quà trãſierint, ſed oẽs prorſus alpes ad Italiã ꝓtinẽtes eorũ noĩe fuerint denoĩatę: vñ ſcribit Seruius Apœninum uocari, quaſi alpes Pœni, qd̃ ſi tueri ꝓgimus, quacunq; trãſgreſſi ſunt, iure ꝑ Pœninas alpes dicent̃ penetraſſe: Liuius tñ credidit nõ ab ullo Pœnorum trãſitu, ſed ab uno uel acri eius iugi ĩcola his mõtibus nomẽ datum, qd̃ illorum ẽt opinionẽ adiuuat, q negãt Anibalẽ ꝑ Pœninos mõtes trãſiſſe: Auctores uerò ſunt Pẽninum, quẽ diximus in Tridẽtinos ſaltus ferre, à penna, quę ẽ ſummitas, fuiſſe cognominatũ: q ea pars ſit alpiũ altiſſima: Sed de Senonibus, Tridẽtinisq;, & alpibus, quæ ab aliis diuerſa ſentiẽtibus memoriæ cõmẽdata ſunt, q̃ntum licuit in tãta ſcriptorũ uarietate breuiter ꝓſtrinximus, ut eorum, q ueritatis & hiſtoriæ Tridẽtinæ ſtudioſi ſunt, minueretur labor.

*Græcæ alpes.*

*Pẽninum montem à Pœninis alpibus diuerſum eſſe.*

FINIS